OFFICIA PROPRIA

SS. PATRONORUM

REGNI POLONIÆ ET SUECIÆ

A SACR. RITUUM CONGREGATIONE

ADPROBATA.

PARS AUTUMNALIS.

RATISBONÆ, NEO EBORACI ET CINCINNATII.

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.

MDCCCLXXX.

ADPROBATIO.

Quum officia propria Archidiœcesibus Nostris Gnesnensi et Posnaniensi a S. Sede diversis temporibus concessa atque in variis breviarii et missalis editionibus in Proprio Regni Poloniæ contenta, nonnullis erroribus scatere viderentur, Nos eadem revisioni et correctioni S. R. C. nuper subjicere curavimus. Exemplar hujusmodi officiorum ab eadem S. C. revisum et correctum Illm̃us D. Fr. Pustet, typographus et bibliopola Ratisbonensis in lucem edere constituit, Nosque hanc illius editionem, utpote legitime recognitam, pro Archidiœcesibus Nostris præsentium tenore adprobamus.

Romæ die 4. Augusti 1880.

✠ **Miecislaus Cardinalis Ledóchowski**

Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis.

Die 30. Augusti.

Ss. Felicis et Adaucti Martyrum.

(In Diœces. Viln., Samogit. et Augustov.)

Duplex majus.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 10. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbýteri.

Lib. 3. in Luc 10. Cap. 43. paulo ante finem.

Ut in audiéndo quisque vel spernéndo Evangélii prædicatóre, non viles quasque persónas, sed Dóminum Salvatórem, imo ipsum patrem spérnere se vel audíre disceret, ait: Qui vos audit, me audit, qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit: quia procul dúbio in discípulo Magíster audítur, et in Fílio Pater honorátur. Potest et ita intélligi: Qui non facit misericórdiam uni de frátribus meis mínimis, nec mihi facit: quia et ipse pro his formam servi et paúperes hábitum suscépi.

℟. Propter testaméntum Dómini.

Lectio viii.

Revérsi sunt autem septuagínta duo cum gaúdio dicéntes: Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Bene quidem conféssi sunt, deferéntes honórem nómini Christi: sed quia infírma adhuc fide gaudébant in virtútibus, vide quid aúdiunt. Et ait illis: Vidébam sátanam sicut fulgur de cœlo cadéntem. Non modo vídeo, sed prius vidébam, quando córruit. Quod autem ait, sicut fulgur, vel præcípitem de supérnis ad ima lapsum signíficat; vel, quia dejéctus, adhuc transfigúrat se in Angelum lucis.

℟. Sancti mei.

Lectio ix.

Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes et scorpiónes, hoc est, omne genus immundórum spírituum de obséssis corpóribus ejiciéndi. Quamvis ad lítteram rectíssime possit áccipi, síquidem et Paulus a vípera invásus, nihil advérsi pátitur. Hoc sane inter serpéntes, qui dente, et scorpiónes, qui cauda nocent, distáre árbitror: quod serpéntes apérte sæviéntes, scorpiónes clánculo insidiántes, vel hómines vel dæmones signíficent. Serpéntes, qui inchoándis virtútibus venéna pravæ persuasiónis objíciunt; scorpiónes, qui consummátas virtútes ad finem vitiáre conténdunt. Verum tamen in hoc nolíte gaudére: quia spíritus ejícere, sicut et virtútes álias fácere, intérdum non est ejus mériti, qui operátur, sed invocátio nóminis Christi hoc agit.

Te Deum laudámus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 25. Augusti 1898.

Dr. Fr. X. Leitner, Vic. in Spirit. Gen.

Ratisbonæ 1898. Typis Fr. Pustet.

OFFICIA PROPRIA
SS. PATRONORUM REGNI POLONIÆ ET SUECIÆ
EX INDULTO SUMMORUM PONTIFICUM RECITANDA.

PARS AUTUMNALIS.

Dominica II.
post Octavam Assumpt. B. M. V.

S. Joachim
Genitoris ejusdem B. M. V.
Protect. Reg. Pol.

Duplex 1. classis cum Oct.

In I. Vesperis.

Ant. de Laudib.; Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Capitulum. Eccli. 44.

Laudémus viros glorиósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo.

Hymnus.

Te gentes, Jóachim, christiánæ canant,
Te patrem célebrent vírginis ínclytæ,
Cui majóra Deus dona benígnior
Divis cóntulit ómnibus.

Nam mundo dóminam cónjuge cum tua
Anna protúleras, qua fuit éditus
Agnus, qui máculas, crímina qui tulit,
Pendens e trabe lígnea.

Devótis précibus læta Polónia
Te, felix Jóachim, concíliat sibi,
Ut sanctis méritis Sarmáticis plagis
Pacis múnera cónferas.

Te, prolem géneras qui tibi cómparem,
Te, per quem génitor sæcula cóndidit,
Te fons, unde fluunt múnera grátiæ,
Tellus, ástraque pérsonant. Amen.

℣. Potens in terra erit semen ejus. ℟. Generátio rectórum benedicétur.

Ad Magnif. Ant. Laudémus virum gloriósum in generatióne sua, quia benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

Oratio.

Deus, qui præ ómnibus sanctis tuis beátum Jóachim Genitrícis Fílii tui patrem esse voluísti: concéde quæsumus; ut cujus festa venerámur, ejus quoque perpétuo patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Commem. Dominicæ.

Ad Matutinum.

Invitat. Laudémus Deum nostrum * In veneratióne beáti Jóachim Protectóris nostri.

Ps. Veníte exsultémus.

In I. Nocturno.

Ant. Vir justus, atque perféctus fuit in generatiónibus suis, cum Deo ambulávit.

Psalmi trium Noct. de Comm. Conf. non Pont.

Ant. De omni corde suo laudávit Dóminum et diléxit Deum, qui fecit illum.

Ant. Magnus factus est in terra sua, et præclárus in univérso pópulo.

℣. Justus tota die miserétur et cómmodat. ℟. Et semen ejus in benedictióne erit.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 44.

Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sǽculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prǽditi, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Ecce qui in vita sua suffúlsit domum, * Et adéptus est glóriam in conservatióne gentis. ℣. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et.

Lectio ii.

Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes, pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in laúdibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum: et

sunt quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint: et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Viam sapiéntiæ monstrávit illi, * Quasi lux splendens sémita ejus procéssit, et crevit usque ad perféctum diem. ℣. Rectos fecit Dóminus cursus ejus, et itínera illíus in pace prodúxit. Quasi.

Lectio iii.

Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Dedit celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ: * Ut laudárent nomen sanctum Dómini. ℣. Factum est illi in testaméntum ætérnum, et sémini ejus sicut dies cœli. Ut. Glória Patri. Ut.

In II. Nocturno.

Ant. Diléctus Deo, et homínibus, cujus memória in benedictiónibus est.

Ant. Magnus fuit secúndum nomen suum, máximus in salútem electórum Dei.

Ant. Hæreditávit honórem in pópulo, et nomen illíus erit vivens in ætérnum.

℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. ℟. Et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

Sermo sancti Epiphánii Epíscopi.

Orat. de laudibus Virg. sub init.

Lectio iv.

De radíce Jesse ortus est rex David, et de tribu regis David sancta Virgo, sancta, inquam, et sanctórum virórum fília, cujus paréntes fuérunt Jóachim et Anna: qui quidem in vita sua Deo placuérunt, atque étiam fructum ejúsmodi germinavérunt, sanctam Vírginem Maríam, templum simul et matrem Dei. Jóachim porro, Anna et María, hi tres Trinitáti palam sacrifícium laudis of-

ferébant. Jóachim enim interpretátur Præparátio Dómini, eo quod ex illo præparátum sit templum Dómini, nempe Virgo. Anna rursus simíliter Grátia interpretátur, proptérea quod Jóachim et Anna grátiam accepérunt, ut, accedéntibus précibus, talem fructum germinárent, sanctam Vírginem adépti: Jóachim síquidem precabátur in monte, et Anna in horto suo.

℟. In omni ópere dedit confessiónem sancto, et excélso in verbo glóriæ. * Glorificávit eum et laudávit eum in benedictiónibus. ℣. De omni corde suo diléxit Dóminum. Glorificávit.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

Orat. 1. de Nativit. B. M. V., circa principium.

Lectio v.

Quóniam futúrum erat, ut Dei Génitrix et Virgo ex Anna orirétur, natúra grátiæ fœtum antevértere mínime ausa est: verum tantísper exspectávit, dum grátia fructum suum produxísset. Síquidem oportébat eam primogénitam in lucem edi, quæ rerum ómnium conditárum Primogénitum, in quo ómnia coagmentáta sunt, paritúra erat. O par beátum Jóachim et Anna! Vobis omnis creatúra obstrícta est. Per vos enim donum, ómnium donórum præstantíssimum, Creatóri óbtulit, nempe castam matrem, quæ sola Creatóre digna erat.

℟. Dedit illi Dóminus glóriam, * Et exaltávit semen ejus usque ad términos terræ. ℣. Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Et.

Lectio vi.

Exsúlta, Jóachim, quóniam ex fília tua Fílius natus est nobis, et vocátur nomen ejus magni consílii, hoc est, salútis totíus mundi Angelus. Pudóre afficiátur Nestórius, ac manum ori impónat. Puer hic Deus est. Quonam ígitur modo ea Dei Génitrix non sit, quæ péperit? Si quis sanctam Dei Genitrícem non confitétur, a Deitáte remótus est. Mea non est hæc orátio, quamquam alióqui mea: hanc enim diviníssimam hæreditátem a Theólogo patre Gregório accépi. O beátum par Jóachim et Anna! Ac profécto ex ventris vestri fructu immaculáti agnoscímini, quemádmodum Christus quodam loco dixit: Ex frúctibus eórum cognoscétis eos. Ut Deo gratum erat ac dignum ea, quæ a vobis orta est, vitæ vestræ ratiónes instituístis. Caste enim ac sancte múnere vestro functi, virginitátis thesaúrum produxístis.

℟. Dilatávit glóriam pópulo suo, * Et dirécta est salus in manu ejus. ℣. Lætificávit Jacob in opéribus suis, et in sǽculum memória ejus in benedictióne. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Ant. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne.

Ant. Factum est illi testaméntum ætérnum, et sémini ejus, sicut dies cœli.

Ant. Dilatávit glóriam pópulo suo, et dirécta est salus in manu ejus.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Damascéni.

Ex lib. 4. de Fide orthodoxa, cap. 15. de Domini genealogia et sanctæ Dei Genitricis.

Quod Joseph ex Davídica tribu oríginem dúxerit, sanctíssimi Evangelístæ Matthǽus et Lucas líquido demonstrárunt. Verum hoc inter eos discríminis est, quod Matthǽus ex Davíde per Salomónem Joséphum dedúcit, Lucas autem per Nathan. At vero sanctæ Vírginis ortum utérque siléntio prætériit. Quocírca scire óperæ prétium est, nec apud Hebrǽos, nec apud Scriptúram sacram hoc in more pósitum fuísse, ut mulíerum genus recenserétur. Verum hoc demum lege cautum erat, ne tribus ulla uxóres ex áltera tribu accérseret. Ac proínde Joseph, qui ex tribu Davídica ortum trahébat, justitiámque colébat (hanc enim laudem ei tríbuit divínum Evangélium), sanctam Vírginem haudquáquam præter legis præscríptum despondísset, nisi ex eódem sceptro genus duxísset. Ob idque satis hábuit Evangelísta demonstrásse, unde Joseph ortum tráxerit.

℟. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. * Et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. ℣. Non recédat memória illíus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Et.

Lectio viii.

Igitur ex stirpe Nathan, fílii David, Levi génuit Melchi et Panthérem. Panther autem génuit Barpanthérem (namque ita vocabátur). Barpánther rursus génuit Jóachim. Jóachim dénique génuit sanctam Dei Genitrícem. Rursus ex stirpe Salomónis, fílii David, Mathan ex uxóre sua génuit Jacob. Mórtuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, fílius Levi, ac frater Panthéris, uxórem ipsíus Mathan, quæ étiam Jacóbi mater erat, matrimónio sibi copulávit, atque ex ea génuit Heli. Ita uteríni fratres erant Jacob et Heli: ille nimírum ex tribu Salomónis, hic ex tribu Nathan oriúndus.

℟. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. Homilia Dominicæ occurrentis.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Laudémus virum * gloriósum in generatióne sua, quia benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis.

2. Potens in terra * erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur.

3. Magnus Pater * multitúdinis géntium, quasi terræ cúmulus crevit a mari usque ad mare.

4. Dedit illi Dóminus * glóriam, et exaltávit semen ejus usque ad términos terræ.

5. Factum est * illi testaméntum ætérnum, et sémini ejus sicut dies cœli.

Capitulum. Eccli. 44.

Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sǽculo.

Hymnus.

Ad tuas aras, Jóachim, propínquat
Hic chorus noster, celebrátque laudes
Corde devóto, mémorans quod ex te
Grátia prodit.

Væ tibi dictum stérili tuǽque
Cónjugi, quondam péperit dolórem,
Gaude, cum tandem dédecus sacráta
Abstulit infans.

Vírginum Virgo facit orta toti
Gaúdium mundo, parit illa quippe,
Qui necem vincat, tríbuens beátæ
Múnera vitæ.

Longa te regum séries ducúmque
Anteit, priscos numerándo Patres,
Hi Redemptórem procul intuéntes,
Tu Pater edis.

O tui felix ave Conditóris,
Quem Patres inter venerátus orbis,
Súscipit, nobis, húmiles precámur,
Annue dexter.

Sit decus Patri genitǽque Proli,
Et tibi compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Bened. Ant. Dedit illi Dóminus glóriam, et exaltávit semen ejus usque ad términos terræ. Non recédet laus ejus ex ore hóminum, qui mémores fuérunt virtútis Dei, allelúja.

Oratio.

Deus, qui præ ómnibus sanctis tuis, beátum Jóachim Genitrícis Fílii tui Patrem esse voluísti: concéde quǽsumus; ut cujus festa venerámur, ejus quoque perpétuo patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Commem. Dominicæ.

Ad Tertiam.

Capit. Laudémus viros.

℟. br. Benedictiónem ómnium géntium * Dedit illi Dóminus. Benedictiónem. ℣. Et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Dedit. Glória Patri. Benedictiónem.

℣. Factum est illi testaméntum ætérnum. ℟. Et sémini ejus sicut dies cœli.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 44.

In generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in laúdibus; qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum.

℟. br. Factum est illi * Testaméntum ætérnum. Fa-

ctum. ℣. Et sémini ejus sicut dies cœli. In testaméntum. Glória Patri. Factum. ℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 44.

Cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum.

℟. br. Justus germinábit * Sicut lílium. Justus. ℣. Et florébit in ætérnum ante Dóminum. Sicut. Glória Patri. Justus.

℣. Justus tota die miserétur, et cómmodat. ℟. Et semen ejus in benedictióne erit.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Dilatávit glóriam pópulo suo, et dirécta est salus in manu ejus. Lætificávit Jacob in opéribus suis, et in sǽculum memória ejus in benedictióne.

Commem. Dominicæ.

Secundũ Officium infra Oct. S. Joachim.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

Orat. 1. de Virg. Mariæ Nativ. post initium.

Lectio iv.

Ad miraculórum fontem revértor, ac lætítiæ fluéntis ingurgitátis cítharam spíritus rursus pério, et natalítium hymnum cano. O castíssimum ratióne prædictárum túrturum par Jóachim et Anna! Vos, ut natúræ legi consentáneum erat, pudicítia conserváta, ea, quæ natúram súperant, divínitus consecúti estis. Vos pie, ac sancte in humána natúra versáti, Angelis superiórem, ac nunc Angelis dominántem fíliam in lucem extulístis. O pulchérrima et suavíssima filíola! O lílium inter spinas, ex nobilíssima et máxima radíce ortum! Per te regnum sacerdótii ópibus auctum est. Per te legis translátio cóntigit, atque Spíritus, qui sub líttera delitescébat, patefáctus est, transláta nimírum a levítica tribu ad Davídicam sacerdotáli dignitáte.

℟. In omni ópere dedit confessiónem sancto, et excélso in verbo glóriæ. *

Glorificávit eum et laudávit eum in benedictiónibus. ℣. De omni corde suo diléxit Dóminum. Glorificávit.

Lectio v.

Vínea ubérrima ex Anna pullulávit, atque uvam suavíssimam prótulit, nectar mortalitátis fundéntem in vitam ætérnam. Jóachim et Anna sibi ipsis ad justítiam seminárunt, ac vitæ fructum messuérunt. Illuminavérunt sibi ipsis lumen sciéntiæ, ac Dóminum exquisivérunt, germénque justítiæ ipsis venit. Fidúciam terra concípiat, et fílii Sion gaudéte in Dómino Deo, quia germinávit desértum, stérilis prótulit fructum suum. Jóachim et Anna tamquam spirituáles montes dulcédinem stillárunt. Lætáre, beáta Anna, quóniam féminam peperísti. Hæc enim fémina Dei Mater est, vitæ porta, lucis fons, atque feminárum crimen dissólvit.

℟. Dedit illi Dóminus glóriam, * Et exaltávit semen ejus usque ad términos terræ. ℣. Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Et.

Lectio vi.

O sacrum par Jóachim, et Anna, natalítiam hanc oratiónem a me áccipe. O Jóachim et Annæ fília, ac dómina, peccatóris oratiónem áccipe, ardénter tamen amántis ac coléntis, teque solam gaúdii spem habéntis, vitæ antístitem in grátiam cum Fílio me reducéntem, firmámque salútis arrham, peccatórum sárcinam díscute, idque, quod mentis meæ ténebras effúndit, ac terrénam crassitátem díssipa. Pacem mundo, atque ómnibus hujus urbis íncolis recte de religióne sentiéntibus, absolútam númeris ómnibus lætítiam, ac sempitérnam salútem pro tuórum paréntum, ac totíus Ecclésiæ compleménto preces concília. Fiat, fiat.

℟. Dilatávit glóriam pópulo suo, * Et dirécta est salus in manu ejus. ℣. Lætificávit Jacob in opéribus suis, et in sǽculum memória ejus in benedictióne. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Coment. in Matth. cap. 1.

Non refert quis in oríginis número atque órdine collocétur, dúmmodo universórum família cœpta esse intelligátur ab uno. Itaque cum ejúsdem tribus sint Joseph et María, dum proféctus esse ex Abrahæ génere Joseph osténditur, proféeta quoque docétur et María. Hæc enim in lege rátio serváta est, ut si mórtuus sine fíliis famíliæ princeps esset, defúncti uxórem postérior frater ejúsdem cognatiónis accíperet, susceptósque fílios in famíliam ejus, qui mórtuus esset, reférret: manerétque ita in primogénitis successiónis ordo, cum patres eórum, qui post se nati essent, aut nómine haberéntur, aut génere.

℟. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. * Et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. ℣. Non recédet memória illíus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Et.

Lectio viii.

Cónsequens illud est, ut, quia díximus secúndum rerum fidem generatiónis istíus órdinem nec número sibi, nec successióne constáre, hujus quoque rei rátio afferátur. Non enim levis causa est, ut áliud in narratióne sit, áliud fúerit in gestis: et áliud referátur in summa, áliud vero teneátur in número. Namque ab Abraham usque ad David quatuórdecim generatiónes numerátæ sunt, et a David usque ad transmigratiónem Babylónis in quibúsdam libris decem et septem deprehendúntur. Sed in hoc non mendácii, aut negligéntiæ vítium est. Nam Joras génuit Ochozíam, Ochozías vero Joam, Joas deínde Amasíam, Amasías autem Ozíam: et in Matthǽo Joras Ozíam genuísse scríbitur, cum quartus ab eo sit. Hoc ita, quia ex gentíli fémina Joras Ochozíam génuit, ex Achab scílicet, qui Jézabel hábuit uxórem.

℟. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Dénique per Prophétam non nisi quarta generatióne in throno régio Isra-

raélis quemquam de domo Achab esse sessúrum dícitur. Purgáta ígitur labe famíliæ gentílis, tribus, quæ prætéritis jam régulis, in quarto generatiónum consequéntium órdine numerátur, et usque ad Maríam generatiónes quatuórdecim esse scribúntur, cum in número decem et septem reperiántur; nullus error esse póterit sciéntibus non eam solum esse Dómino nostro Jesu Christo oríginem, quæ cœpit ex María: sed in procreatióne corpórea, nativitátis ætérnæ significántiam comprehéndi.

Te Deum laudámus.

Tertium Officium infra Oct. S. Joachim.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

De Dormit. Ss. Dei Genitricis. Orat. 1.

Lectio iv.

Si gentíles eos, qui de vita discésserant, funébribus oratiónibus ornántes, id omne, quod ad alliciéndos auditórum ánimos accommodátum esse cernébant, omni stúdio, ac diligéntia conferébant, tum ut ejus, quem laudándum suscéperant, ómnibus númeris encómium absolútum esset, tum ut réliquos ad virtútem excitárent, atque cohortaréntur (sic tamen ut ex infinítis fábulis sermónem magna ex parte contéxerent, quod vidélicet nihil domi habérent, per quod ipsíus comendatiónem próferent) quid tandem afférri queat, quin nos, si ea, quæ veríssima, ac veneratióne digna sunt, quæque benedictiónem omnem, ac salútem ómnibus attulérunt, alto, ut dici solet, siléntio contraxérimus, non ingéntem nostri risum excitémus, in eamdémque, in quam is, qui taléntum humi ábdidit, pœnam incidámus? Quocírca inítium dicéndi faciámus, atque oratiónis brevitáti studeámus, ne alióquin aúribus inimíca sit, non secus ac corpóribus cibus modum excédens. Jóachim et Anna Maríæ paréntes fuérunt.

℟. In omni ópere dedit confessiónem sancto, et excélso in verbo glóriæ. * Glorificávit eum et laudávit eum in benedictiónibus. ℣. De omni corde suo diléxit Dóminum. Glorificávit.

Lectio v.

At Jóachim quidem, ut pécudum pastor, cogitatiónes suas non minus quam oves pascébat, ac pro arbítrio et líbitu ducébat. Etenim cum sub Dómino pécudis instar pascerétur, nullis præstantíssimis rebus carébat. Præstantíssima porro ea me dícere ne quis arbitrétur, quæ plerísque grata sunt, et quibus avidórum hóminum ánimus semper ínhiat, quæque nec fixa, ac durabília suápte natúra sunt, nec meliórem Dóminum effíciunt; nostis enim præséntis vitæ voluptátes, quæ vim firmam, ac stábilem habére néqueunt, sed statim éffluunt, ac eádem propémodum hora dilabúntur: tamétsi alióquin eórum cópia abundáret. Absit hoc. Non nostrum est hæc mirári, nec pars hæc timéntium Dóminum.

℟. Dedit illi Dóminus glóriam, * Et exaltávit semen ejus usque ad términos terræ. ℣. Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Et.

Lectio vi.

Hic Jóachim cogitatiónes suas pascébat in loco páscuæ, hoc est: in sacris oráculis degens, atque in refectiónis aqua, hoc est: in divína grátia sese obléctans: sic nimírum, ut eas a túrpibus et obscœnis rebus avocáret, atque ad justítiæ sémitas ipsis dux esset. At vero Anna, quæ, si interpretéris, grátiam sonat, non minus morum, quam matrimónii jugo cum eo copuláta erat. Verum quamvis omni virtútum génere floréret, tamen arcána quadam ratióne sterilitátis modo tenebátur. Etenim stérilis vere grátia erat, ut quæ in hóminum ánimis fructum édere mínime posset: quandóquidem omnes declinavérunt, simul inútiles facti erant; non erat intélligens, aut requírens Deum.

℟. Dilatávit glóriam pópulo suo, * Et dirécta est salus in manu ejus. ℣. Lætificávit Jacob in opéribus suis, et in sæculum memória ejus in benedictióne. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 12. in Matth. post initium.

Audítu quidem mirábile est, quod ineffábilis Deus, et qui nec sermónibus explicári potest, nec cogitatiónibus comprehéndi, Patríque per ómnia coæquális, per Vírginis ad nos venit úterum, et fíeri ex mulíere dignátus est, et habére progenitóres David, et Abraham: et quid dico, David et Abraham? étiam illas, quod magis stupéndum est, féminas, quas paulo ante memorávi. Hæc ígitur aúdiens mente consúrge, nihílque húmile suspicéris, sed pótius propter hoc ipsum máxime miráre, quia, cum verus et diléctus Fílius sit sempitérni Dei, étiam fílius David esse dignátus est, modo ut te fílium fáceret Dei: servum patrem habére dignátus est, ut tibi servo patrem fáceret ipsum Deum.

℟. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. * Et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. ℣. Non recédet memória illíus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Et.

Lectio viii.

Vides ab ipso statim princípio, quam læta sint hæc núntia. Quod si ámbigis de his quæ ad tuum spectant honórem ab iis, quæ illíus sunt, étiam tua disce crédere. Quantum enim cónsequi potest humána rátio, multo est diffícilius Deum hóminem fíeri, quam hóminem Dei fílium consecrári. Cum ergo audíeris, quia Fílius Dei fílius sit et David et Abrahæ, dubitáre jam désine, quod et tu, qui fílius es Adæ, futúrus sis fílius Dei. Non enim semetípsum ita humiliásset, nisi nos esset exaltatúrus. Natus est enim secúndum carnem, ut tu nascieréris spíritu; natus est ex mulíere, ut tu desíneres fílius esse mulíeris.

℟. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Proptérea duplex facta generátio est, hæc scílicet nostræ símilis, illa nostram eminénter excédens. Quod enim natus ex fémina est, et nobis cómpetit: quod vero non ex sánguine, neque ex volun-

táte carnis aut viri, sed ex Spíritu sancto, áliam nobis sublimiórem, futurámque et spíritu consequéndam generatiónem promíttit. Sed ália quoque ómnia ex símili diversitáte constábant. Nam et baptísma profécto tale suscépit, quod habéret quidem áliquid véteris, habéret et novi. Quod enim baptizátus est a Prophéta, expréssit vetus: quod autem descéndit Spíritus, adumbrávit novum.

Te Deum laudámus.

Quartũ Officium infra Oct. S. Joachim.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex libro sancti Joánnis Damascéni.

De fide orthodoxa lib. 4. c. 16.

Lectio iv.

Joáchim lectíssimam illam, ac summis laúdibus dignam mulíerem Annam matrimónio sibi copulávit. Verum quemádmodum prisca illa Anna, cum sterilitátis morbo laboráret, per oratiónem ac promissiónem Samuélem procreávit, eódem modo hæc étiam per obsecratiónem, et promissiónem Dei Genitrícem a Deo accépit, ut ne hæc quoque cuíquam ex illústribus matrónis céderet. Itaque grátia (nam hoc sonat Annæ vocábulum) Dóminam parit (id enim Maríæ nómine significátur). Vere étenim rerum ómnium conditárum Dómina facta est, cum Creatóris Mater éxstitit.

℟. In omni ópere dedit confessiónem sancto, et excélso in verbo glóriæ. * Glorificávit eum et laudávit eum in benedictiónibus. ℣. De omni corde suo diléxit Dóminum. Glorificávit.

Lectio v.

In lucem autem éditur in domo Probática Jóachim, atque ad templum addúcitur, ac deínde in domo Dei plantáta, atque per Spíritum saginata, instar olívæ frugíferæ virtútum ómnium domicílium effícitur, ut quæ vidélicet ab omni hujúsce vitæ, et carnis concupiscéntia mentem abstraxísset, atque ita Vírginem una cum córpore ánimam conservásset, ut eam decébat, quæ Deum sinu suo exceptúra erat.

℟. Dedit illi Dóminus glóriam, * Et exaltávit semen ejus usque ad términos terræ. ℣. Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Et.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

De S. Philogonio ante medium.

Lectio vi.

Quænam ígitur orátio par sit viri laúdibus, quem Deus tam felíci sorte dignátus est? Non est ulla, sed age, dic mihi, num idcírco silébimus? et cujus rei grátia convénimus? An dicémus, nos haud posse magnitúdinem gestórum oratióne cónsequi? Atqui ob hoc ipsum necésse est dícere; quandóquidem hæc est præcípua laudum illíus pars, quod factis verba æquiparári non possint. Nam quorum benefácta natúram étiam súperant mortálem, perspícuum est, quod horum laudes excédunt linguam humánam. Proínde, quamvis nostræ facultátes exíguæ sint, minimíque prétii, áttamen, quæ póssumus, offérimus. Ea licet non respóndeant magnitúdini meritórum ánimæ præclári, justíque Jóachim, tamen hoc ipsum celsitúdinis illíus máximum fúerit arguméntum, quod non pusílla repéllat.

℟. Dilatávit glóriam pópulo suo, * Et dirécta est salus in manu ejus. ℣. Lætificávit Jacob in opéribus suis, et in sǽculum memória ejus in benedictióne. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Unde supra, paulo post.

Cujus vero rei grátia librum ipsum generatiónis Christi vocat, ubi non sola útique generátio, sed tota prorsus ipsíus mystérii dispensátio continétur? quia totíus scílicet dispensatiónis caput, radix atque princípium ómnium nobis in hoc consístit bonórum. Ut enim Móyses librum cœli appellávit ac terræ, cum certe non de cœlo solum terráque loquerétur, sed de cunctis, quæ inter ipsa subsístunt: ita étiam Evangelísta ab ipso ómnium fonte et cápite bonórum librum vocávit.

℟. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus.

* Et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. ℣. Non recédet memória illíus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Et.

Lectio viii.

Qua vero de causa non eum ante fílium Abrahæ, et póstea fílium David nuncupávit? Non, sicut opinántur áliqui, ab inferióribus volens ad superióra conscéndere. Céterum fecísset quod fecit et Lucas: nunc autem e contrário facit. Cur ergo commemorávit prióorem David? Quia ipse procul dúbio in ómnium versabátur ore, ob insígne honóris et glóriæ, ob ipsíus quoque témporis spátia junctióra. Etsi enim utríque promíserat Deus, sed tamen illud quasi antíquum reticebátur, hoc vero quasi novum et recens ab ómnibus celebrabátur.

℟. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Ipsi namque Judǽi dicunt: Nonne ex sémine David, et Béthlehem castéllo, unde erat David, venit Christus? Nemo ígitur illum fílium Abrahæ, sed omnes fílium David nominábant: qui étiam honorabilióres quosque de sanctitáte reges, qui post David fuísse referúntur, ab illo omnes vocábant. Nec ipsi solum, verum étiam Deus; nam et Ezéchiel et álii prophétæ dicunt, David surrectúrum esse eis, atque ventúrum, non de illo útique mórtuo jam loquéntes, sed de iis, qui illíus virtútem erant imitatúri. Proptérea ígitur a notióre ínterim, et celebratióre persóna sumit exórdium, et tum demum ad antiquiórem recúrrit paréntem.

Te Deum laudámus.

Quintum Officium infra Oct. S. Joachim.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Andréæ Creténsis Epíscopi.

Ex libro Actor. PP. Græcorum edit. P. Combesis, Ord. Præd.

Lectio iv.

Jóachim, vir mitis, modéstus, ac divínis innutrítus légibus, cum sóbrie vixísset, Deóque constans adhærére

ret, ac sic perseveráret, consenúerat orbátus fíliis, natúra quidem végeta, cujus tamen vigóri non respondéret donum géneris. Sed Anna Dei amans, sóbria quidem, et cóntinens, sed stérilis, viri amans, sed carens líberis, nec áliud, quam ut legi Dómini honórem habéret, ánimo cógitans, stimulántibus per dies sterilitátis acúleis, et ut par est áffici, quibus non sunt proles, moléste ferébat, tristabátur, dolébat, non ferens filiórum orbitátem. Cum sic autem Jóachim uxórque tristaréntur, quod fílius deésset, qui famíliæ adésset: nondum tamen scintíllam spei exstínxerant; utríque vero, ut ad suscitándum semen fílius præberétur, orábant. Ambo ítaque Annam illam imitáti, factam voti cómpotem, et exaudítam, assídui in templo erant, Deúmque votis supplícibus, ut orbitátem sólveret, fructúmque sterilitáti concéderet, provocábant. Nec prius contentiónem remisérunt, quam sint facti cómpotes voti. Et revéra evasérunt voti cómpotes. Non enim spei negléxit donum ipsíus doni Auctor. Sic namque quiritántibus, ac Deo supplicántibus, ócius ádfuit non tarda virtus, illíque ad fructus editiónem, huic ad prolem suscipiéndam vires addit, ac jam ex infœcúndis, arentibúsque ceu irríguis arbóribus, generósus nobis fructus Virgo immaculatíssima germinávit. ℟. In omni ópere dedit confessiónem sancto, et excélso in verbo glóriæ. * Glorificávit eum et laudávit eum in benedictiónibus. ℣. De omni corde suo diléxit Dóminum. Glorificávit.

Lectio v.

Et quidem ita. Nos autem Dei pópulus, plebs sancta, sacer convéntus, tripúdio celebrémus patérna, vim mystérii celebrémus. Quisque pro concéssa grátia cóngruum solemnitáti munus cónferat, patres géneris felicitátem, matres liberórum fœcúndam probitátem, stériles peccáti infœcunditátem, vírgines dúplicem incorruptiónem, ánimæ, inquam, et córporis: conjugátæ moderatiónem laudábilem. Si quis in vobis pater, Vírginis Patrem imitándum propónat. Quamquam prole cáreat, vitæ Dei amántis fructum, oratiónem, fœtum, seménque vindémiet. Si quæ mater lactens, Annæ post ste-

rilitátem lacténti pro voto puéllam congaúdeat. Si quæ stérilis, et infœcúnda fructum benedictiónis non habet, concéssum divínitus Annæ germen convéniat, et sterilitátem depónat. Si quæ virgo casta, efficiátur Verbi Mater: verbo, ánimæ státui mundum cónferens. Si quæ sub jugo, rationále sacrifícium ófferat de iis quæ précibus comparáta sunt.

℟. Dedit illi Dóminus glóriam, * Et exaltávit semen ejus usque ad términos terræ. ℣. Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Et.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 12. de S. Victore.

Lectio vi.

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico, gaudéte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo; in cœlum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam, illic invítat ad glóriam. Factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat et supplicántis affléctum, et supplicatiónis fructum.

℟. Dilatávit glóriam pópulo suo, * Et dirécta est salus in manu ejus. ℣. Lætificávit Jacob in opéribus suis, et in sǽculum memória ejus in benedictióne. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Lectio vii. Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Unde supra, paulo post.

Duo sunt quæ páriunt quæstiónem. Unum, quæ causa sit, ut in generatiónum catálogo Virgo sileátur: álterum vero, qua ratióne Joseph memorétur, cui certe nihil cum Christi generatióne est commúne. Vidétur enim et unum abundáre, et álterum deésse. Quid ergo dicémus? quod útique primum illud necésse fuit memorári, quemádmodum ex David Virgo descénderit. Unde hoc ítaque discémus? Audi ad Gábriel loquéntem Dóminum: Vade ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen Joseph, ex domo et família David. Quid vis audíre maniféstius, cum ex domo et família David illam Vírginem esse cognóscas?

℟. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus. * Et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. ℣. Non recédet memória illíus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Et.

Lectio viii.

Non erat mos apud Hebrǽos, generatiónum catálogum per féminas téxere. Ut ergo et morem custodíret (ne in ipso statim princípio viderétur antíqua destrúere), et nobis Vírginem cértius indicáret: paréntes ejus réticens atque majóres, de Joseph generatióne non tácuit. Sive enim hæc fecísset in Vírgine, novitátis non effugísset invídiam: sive Joseph reticuísset, non agnoscerémus ex qua tribu Virgo subsísteret. Ut ergo et nos discernerémus, quæ esset María, vel unde; et consuetúdo legis permanéret immóbilis, generatiónum catálogum usque ad sponsum ejus perdúxit, ac de domo illum David esse monstrávit.

℟. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et florébit. Glória Patri. Et florébit.

In Quatuor Temp. Lectio ix. de Homilia Feriæ. Alias

Lectio ix.

Hoc enim declaráto, illud quoque páriter osténdit, quod scílicet inde esset et Virgo: quia útique nequáquam justus iste paterétur uxórem sibi aliúnde, quam unde lex præcipiébat, elígere. Póssumus vero áliam quoque et altiórem quidem proférre ratiónem, ob quam paréntes Vírginis prætermíssi sunt. Sed quæ ea est? Nóluit Evangelísta recénti adhuc témpore novi illíus admirandíque partus mystérium Judǽis esse maniféstum, quod Christus natus fuísset ex Vírgine. Neque próprius noster hic sermo est, sed a nobis de Patrum atque insígnium virórum traditióne suscéptus.

Te Deum laudámus.

Dominica I. Septembris.

Ss. Reliquiarum

Diœc. Varm. et Sambiens.

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Propitiáre, quǽsumus Dómine, fámulis tuis per mérita gloriósæ Vírginis Maríæ, et beatórum Mártyrum Lauréntii, Eríci, et ómnium Sanctórum tuórum, quorum Relíquiæ in hac continéntur ecclésia, ut eórum pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dñm.

Deinde fit Comem. Dominicæ occurrentis.

In I. Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio i. Cap. 5. b.

Per manus autem Apostolórum fiébant signa, et prodígia multa in plebe. Et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Ceterórum autem nemo audébat se conjúngere illis, sed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum, ac muliérum, ita ut in platéas ejícerent infírmos, et pónerent in léctulis, ac grabátis, ut, veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, et liberaréntur ab infirmitátibus suis. Concurrébat autem et multitúdo vicinárum civitátum Jerúsalem, afferéntes ægros, et vexátos a spirítibus immúndis, qui curabántur omnes.

℟. Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis sanctórum: et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient, neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. Quóniam.

Lectio ii. Cap. 19. b.

Introgréssus Paulus synagógam, cum fidúcia loquebátur per tres menses, dísputans, et suádens de regno Dei. Cum autem quidam induraréntur, et non créderent, maledicéntes viam Dómini coram multitúdine, discédens ab eis, segregávit discípulos, quotídie dísputans in schola tyránni cujúsdam. Hoc autem factum est per biénnium, ita ut omnes, qui habitábant in Asia, audírent verbum Dómini, Judǽi atque gentíles. Virtutésque non quáslibet faciébat Deus per manum Pauli: ita ut étiam super lánguidos deferréntur a córpore ejus sudária, et semicínctia, et recedébant ab eis languóres, et spíritus nequam egrediebántur.

℟. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino: amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua: * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus et una fides erat in eis. Et.

Lectio iii.

Tentavérunt autem quidam et de circumeúntibus Judǽis exorcístis, invocáre super eos, qui habébant spíritus malos, nomen Dómini Jesu, dicéntes: Adjúro vos per Jesum, quem Paulus prǽdicat. Erant autem quidam Judǽi Scevæ príncipis sacerdótum septem fílii, qui hoc faciébant. Respóndens autem spíritus nequam, dixit eis: Jesum novi, et Paulum scio: vos autem qui estis? Et insíliens in eos homo, in quo erat dæmónium péssimum, et dominátus ambórum inváluit contra eos, ita ut nudi et vulneráti effúgerent de domo illa. Hoc autem notum factum est ómnibus Judǽis, atque gentílibus, qui habitábant Ephesi: et cécidit timor super omnes illos, et magnificabátur nomen Dómini Jesu. Multíque credéntium veniébant confiténtes, et annuntiántes actus suos.

℟. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia: * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

De Sermóne S. Gregórii Papæ.

Homilia 32. in Evang.

Lectio iv.

Ad sanctórum Mártyrum córpora consístimus, fratres mei. Numquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certíssime constitísset esse vitam, pro qua mori debuíssent? Et ecce, qui ita credidérunt, miráculis corúscant. Ad exstíncta namque eórum córpora vivéntes ægri véniunt, et sanántur: perjúri véniunt, et a dæmónio vexántur: dæmoníaci véniunt, et liberántur. Quómodo ergo vivunt illic,

ubi vivunt, si in tot miráculis vivunt hic, ubi mórtui sunt?

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illǽsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, et in mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

Quod enim vidéri potest, mélius dícitur sciri quam credi. Ventúram ergo vitam nos Dóminus vóluit magis scire quam crédere: qui eos quos invisibíliter recépit, apud se vívere nobis étiam visibíliter osténdit. Hos ergo, fratres caríssimi, in causa vestri exáminis, quam cum distrícto júdice habétis, patrónos fácite: hos in die tanti terróris illíus defensóres adhibéte. Certe si apud quemdam magnum júdicem causa quǽlibet vestra esset die crástina ventilánda, totus hodiérnus dies in cogitatióne ducerétur: patrónum vestra fratérnitas quǽreret, magnísque précibus ágeret, ut apud tantum júdicem sibi defénsor veníret.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut hærédes.

Lectio vi.

Ecce distríctus judex ventúrus est: tanti illíus Angelórum Archangelorúmque concílii terror adhibétur. In illo convéntu causa nostra discutiétur; et tamen nos patrónos modo non quærimus, quos tunc defensóres haberémus. Adsunt defensóres nostri sancti Mártyres, rogári volunt, atque, ut ita díxerim, quærunt ut quæránter. Hos ergo auditóres oratiónis vestræ quǽrite, hos protectóres vestri reátus inveníte: quia ne puníre peccatóres débeat, rogári vult et ipse, qui júdicat. Unde et tam longo témpore comminátur iram, et tamen misericórditer exspéctat. Sic autem nos misericórdia ejus refóveat, ut nullo modo negligéntes reddat: sic peccáta nostra pertúrbent, ut mens in desperatiónem non próruat: quia etsi præsuméntes metúimus, et metuéntes sperámus, ætér-

num regnum cítius adeptúri sumus per eum, qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocaústi hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum:* Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 9. c.

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

De Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

In festo omnium Sanctorum.

Légimus in Evangélio hódie, quóniam videns turbas Jesus ascéndit in montem. Prædicántem enim Dóminum de civitátibus et castéllis pópuli sequebántur; quorum salvábat ánimas, sanábat et córpora, et adhærébant ei, affátu páriter et adspéctu illíus delectáti: cujus nimírum vox suávis, et fácies decóra, sicut scriptum est: Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis. Talis est, quem nos séquimur, cui adhærémus, totus desiderábilis, in quem non solum pópuli, sed et ipsi quoque Angeli sancti desíderant prospícere.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! Quia.

Lectio viii.

Quid vobis suávius apponémus? Nimírum hæ sunt delíciæ Angelórum. Gustáte proínde et vidéte, quóniam suávis est Dóminus. Et huic suavitáti, huic sapóri, huic sapiéntiæ, quæ tráhitur de occúltis, omne quod desiderátur, non valet comparári. Quid enim miráris in sole splendórem, in flore pulchritúdinem, in pane sapórem, in terra fœcunditátem? sed a Deo hæc

univérsa dona sunt: nec dúbium, quin multo ámplius reserváverit sibi, quam déderit creatúris.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis, * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix. dicitur de Homilia Dominicæ occurrentis.

Die 3. Septembris.

B. Bronislavæ Virginis Sanctimonialis Ordinis Præmonstratensium.

Duplex majus.

Omnia de Communi Virgin., præter sequ.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui in húmili tuæ Crucis sequéla ascensiónes ad te disposuísti: concéde propítius; ut exémplo beátæ Bronislávæ, cujus venerándam celebrámus festivitátem, post præséntis vitæ ærúmnas, glóriæ tuæ partícipes esse mereámur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus.

In I. Noct. Lect. De Virgínibus. de Comm. 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Bronisláva, patre Stanisláo, domo Prandotárum Odrovónsii, matre Anna, nóbili Griffónum génere, rure Kámien, in diœcési Vratislaviénsi orta, quum adhuc sextum décimum ætátis suæ numeráret annum, contémptis mundi delíciis spretísque vitæ mollióris oblectaméntis, exémplum consobríni sui sancti Hyacínthi imitáta, Cracóviæ in ascetério Zwierzynecénsi órdinis Præmonstraténsium, totam se Deo dicávit. Ibi perféctæ regulárum institúti custódiæ incúmbens, eórum, quæ Dei sunt, única sollícita, usus consuetudinísque, non sæculárium modo, sed et sodálium pertæsa, assíduæ oratióni et Domínicæ Passiónis meditatióni ánimum alácriter applícuit. Humilitátem ádeo adamávit, ut ad sorórum pedes provolúta, conculcári se, plenum misériis púlverem, postuláret. Corpus vigíliis, flagéllis, cilíciis ita exércuit, ut illíus castigatiónes feminei sexus debilitátem excéderent.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet te.

Lectio v.

His aliísque virtútibus, quum sanctitáte magis, quam ætáte crevísset, multásque soróres ad meliórem frugem revocásset, donis étiam supernaturálibus est cumuláta. Solitúdinis amóre flagrans, montem Sikórnik, prope ascetérium pósitum, frequénter adíbat, quóniam clausúræ légibus sanctimoniáles nondum adigebántur: ductísque annis ultra quadragínta in perfectióne vitæ, ibídem sancto fine quiéscens, parátum a Christo præmium proméruit. Ejus corpus in ecclésiam sui monastérii translátum et prope altáre majus, eleváto in loco compósitum, diu mansit ignótum, donec extraordinário modo, anno millésimo sexcentésimo duodécimo repértum et successíve de altári ad altáre collocátum, públicæ veneratióni pátuit, quæ majus de die in diem, ob cœléstia benefícia, præservatiónis præsértim a lue, suscépit increméntum. Hujúsmodi ecclesiásticum cultum in Sacrórum Rítuum Congregatióne rite probátum, Gregórius Papa décimus sextus confirmávit, ac præsens festum univérsæ Cracoviénsi diœcési, iisdémque sanctimoniálibus Præmonstraténsibus beníge ab eódem Pontífice prímitus concéssum, ejus succéssor Papa Pius nonus in archidiœcésim Gnesnénsem et Posnaniénsem exténdere permísit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Sermo S. Máximi Epíscopi.

Lectio vi.

In Natali S. Agnetis.

Quum in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, et sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu, eoúsque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis tropæum sanctitátis arríperet, et per vestígia Matris Vírginis ad cœléstem thálamum perveníret. O quam imitábile virgínibus, virgo

Bronisláva, amóris tradidísti exémplum! O quam sanctum, pectóribus dandum virgíneis, tribuísti respónsum, contemnéndo mundi divítias, exsecrándo carnis concupiscéntias, et solam Christi pulchritúdinem adamándo! Accédite ad puéllam, puéllæ, et díscite, quales in péctore suo, circa amórem Christi, flammas accéndit. Díscite, vírgines, Christi amórem in ea fervéntem, et omnes mundi divítias velut stércora recusántem.

℟. Afferéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III. Nocturno Homilia in Evangelium. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de Comm. Virg.

Dominica

post festum S. Matthæi Apost.

B. Ladislai de Gielniow

Confessoris,

P. R. P. Ord. Minorum de Observantia.

Pro Diœc. Gnesnen. et Posnan.

Duplex 1. cl. cum Oct.

Omnia de Communi Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Ladisláum religiósa perfectióne voluísti ómnibus prælucére: concéde propítius; ut ejus exémplo in virtútibus júgiter proficiámus. Per Dóminum.

In I. Noct. Lectiones Beátus vir. de Comm. 2. loco.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ladisláus in óppido Gielnióvii diœcésis Gnesnénsis in Polónia pueritiam transégit. Adhuc adoléscens in órdine Fratrum Minórum Observántium sancti Francísci, quorum antíquam disciplínam sanctus Joánnes a Capistráno non diu ante in Polónia propagáverat, solémnia vota nuncupávit. In arrépta religiósæ perfectiónis vita ita profécit, ut absolútæ sanctitátis exémplar viderétur. Assíduis jejúniis, et vigíliis corpus subégit: oratiónis, et contemplatiónis grátia, caritáte, humilitáte, alíísque religiósi hóminis virtútibus máxime enítuit, ac regulárem in primis observántiam ardénti zelo promóvit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Cum céteris sanctitáte, zelo ac doctrína prælucéret, ad régimen sui órdinis assúmptus est: sæpe custódis convéntus Varsaviénsis, et vicárii provínciæ Polóniæ munus sum̃a cum laude obívit. Divíni verbi prædicatióni óperam navávit egrégiam. Præ áliis autem virtútibus obediéntiam, ac própriæ voluntátis abdicatiónem máxime cóluit. Cum enim ei cœnóbii óptio darétur, e sócii, qui famularétur, et superiórum nútibus pendére se velle proféssus est. Singulári pietáte, ac devotióne erga Christi Dómini passiónem afficiebátur, quæ tam alte ipsíus menti hærébat, ut illíus memóriam suis in conciónibus numquam omítteret.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Sacro Parascéves die cum de Domínica passióne ad pópulum conciónem habéret, eíque Christi dolóres, et cruciátus præ óculis póneret, sacratíssimum Jesu nomen ingéminans, in écstasim raptus est, et super ambónem, univérso spectánte pópulo, elevátus. Mox languóre corréptus, plenus méritis, ac ómnibus Ecclésiæ sacraméntis rite sanctéque reféctus, migrávit ad Dóminum quarto Nonas Maji, anno millésimo quingentésimo quinto, et in ecclésia sui órdinis Varsáviæ sepúltus est. Ejus mérita, et sanctitátem statim post mortem miráculis Deus comprobávit, præsentémque in suis calamitátibus opem agnoscéntes Polóni, et Lithuáni, inter suos primários Patrónos beátum Ladisláum adlegérunt. Ipsíus cultum summus Póntifex Benedíctus quartusdécimus ratum hábuit, et Apostólica auctoritáte amplificávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui con-

témpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi Epíscopi.

Ex Serm. 25.

Hódie Dóminus evangélici gregis pusílla et ténera primórdia, quam blanda exhortatióne sit consolátus, audístis. Nolíte timére, inquit, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Aufert spes ánxias, dúbios tollit evéntus, omnémque propéllit et exclúdit timórem, quando in exórdio ipsum regnum nascéntibus pollicétur. Quis de victu, quis de vestítu, quis de plebéjo censu et vernális céspitis vilitáte suspírat, de regno certus, de dominatióne secúrus? Satis sibi ínvidet, qui elevátus ad summa, ipse se ad humília déjicit, ad egéna depónit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in iñocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Sed scire cónvenit, Pater iste quis est, vel qualis est, vel quod regnum suis fíliis repromíttit. Quis sit iste Pater, quotídie te confiténte cognóscis, cum clamas: Pater noster, qui es in cœlis. Qualis autem sit, ipsa óperum magnitúdine pervidísti: Ex níhilo fecit cœlum, terram solidávit ex líquido, montes státuit ad statéram, mária intra legítimos términos sola præcépti auctoritáte conclúsit. Verum si regni, quod promíttit pusíllis, desíderas nosse qualitátem, ipse áperit, sic dicéndo: Sínite párvulos veníre ad me, tálium est enim regnum cœlórum. Jam regnáre in cœlo, quanti sit, sensus désinit æstimáre mortális, et tamen homo, quod æstimáre non potes percepísti, Apóstolo sic dicénte: Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus diligéntibus se; et quod te meréri dúbitas, habére te et possidére jam cógeris confitéri.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Esse in cœlo mirum est, in cœlo vívere est majestátis. Quid ergo cum terra illi, qui póssidet cœlum? quid illi cum humánis, qui adéptus est jam divína? Nisi forte placent gémitus, eligúntur labóres, amántur perícula, péssima mors deléctat, et illáta mala bonis sunt gratióra collátis. Sed videámus quod dat Pater tantus consílium regnatúris: Véndite, quæ possidétis, et date eleemósynam. Si victúros vos, si regnatúros, si vos jam dívites esse créditis in supérnis, ubi futúri, quo migratúri, ubi regnatúri estis: vos illa, quæ vestra sunt, jam præcédant, opes míseras misericórdia computáte, quæ humána sunt, in divína convértite.

Te Deum laudámus.

In Octava B. Ladislai de Gielniow Confessoris.

In loco

Duplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne S. Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. de S. Victore.

Lectio iv.

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Iterum dico, gaudéte: quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo; in cœlum levátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam, illic invítat ad glóriam. Factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat, et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Hæc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus: exsultémus, et lætémur in ea. Introívit in poténtias Dómini: gaudeámus, quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Ladisláus pósito córpore, tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória Sanctórum. Hódie, despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum victor ascéndit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa suppelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus. Sedet veteránus miles, débita jam suavitáte et securitáte quiétus: secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Angelis sanctitátem, quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant, et frequéntant boni! Nec fácile díxerim, quid virum ádstruat sanctiórem, horum favor aut pavor illórum.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

O miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti, réspice ad imbélles et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis laúdibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o Ladisláe! in hoc loco afflictiónis, et in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum, et memoriále tuum, favus distíllans in lábiis captivórum, mel et lac sub lingua eórum, qui tui memória delectántur. Eja ergo fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis, ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi Epíscopi.

De terrenorum cura despicienda. Serm. 22.

Hódie Dóminus evangélici gregis pusílla, et ténera primórdia quam blanda exhortatióne sit consolátus, audístis. Nolíte timére, inquit, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Aufert spes ánxias, dúbios tollit evéntus, omnémque propéllit et exclúdit timórem, quando in exórdio ipsum regnum nascéntibus pollicétur; quóniam complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Quis de victu, quis de vestítu, quis de plebéjo censu, et vernális céspitis vilitáte suspírat, de regno certus, de dominatióne secúrus? Satis sibi ínvidet, qui elevátus ad summa ipse se ad humília déjicit, ad egéna depónit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Sed scire cónvenit, Pater iste quis est, vel qualis est, vel quod regnum suis fíliis repromíttit. Quis sit iste Pater, quotídie te confiténte cognóscis, cum clamas: Pater noster, qui es in cœlis. Qualis autem sit, ipsa óperum magnitúdine pervidísti: ex níhilo fecit cœlum, terram solidávit ex líquido, montes státuit ad statéram, mária intra legítimos términos sola præcépti auctoritáte conclúsit. Verum si regni, quod promíttit pusíllis, desíderas nóscere qualitátem, ipse áperit, sic dicéndo: Sínite párvulos veníre ad me: tá-

lium est enim regnum cœlórum. Jam regnáre in cœlo quanti sit, sensus désinit æstimáre mortális, et tamen, homo, quod æstimáre non potes, percepísti, Apóstolo sic dicénte: Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus diligéntibus se. Et, quod te meréri dúbitas, habére te et possidére jam cógeris confitéri.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Viguláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Esse in cœlo mirum est, in cœlo vívere est majestátis. Quid ergo cum terra illi, qui póssidet cœlum? quid illi cum humánis, qui adéptus est jam divína? Nisi forte placent gémitus, eligúntur labóres, amántur perícula, péssima mors deléctat, et illáta mala bonis sunt gratióra collátis. Sed videámus, quod dat Pater tantum consílium regnatúris. Véndite quod possidétis, et date eleemósynam. Si victúros vos, si regnatúros, si vos jam dívites esse créditis in supérnis, ubi futúri, quo migratúri, ubi regnatúri estis: vos illa, quæ vestra sunt, jam præcédant, opes míseras misericórdia computáte; quæ humána sunt, in divína convértite. Te Deum.

Die 25. Septembris.

Ss. Reliquiarum in Eccl. Upsalensi.

(Pro diœc. Gnesnensi; pro diœc. autem Posnaniensi die prima libera post festum S. Matthæi.)

Duplex.

Omnia ut in Comm. plur. Mart. præter Orat. Propitiáre. et Lect. ut supra in festo Reliqu. Diœc. Varmiens. et Sambiens.

Die 26. Septembris.

S. Josaphati Ep. et Mart.

(Pro Diœc. Gnesn. et Posn.)

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., præter sequ.

Oratio.

Excita, quæsumus Dómine, in Ecclésia tua Spíritum quo replétus sanctus Jósaphat Martyr et Póntifex tuus ánimam suam pro óvibus pósuit, ut eo intercedénte, nos quoque eódem spíritu moti, ac roboráti ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. Per Dñm nostrum . . . in unitáte ejúsdem.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Jósaphat Kuncewícius inter Ruthénos nobílibus et cathólicis paréntibus Vladimíriæ in Volhínia natus est anno reparátæ salútis millésimo quingentésimo octogésimo. Adhuc puérulus matrem de passióne Dómini loquéntem devóte aúdiens ígneum jáculum a látere imáginis Jesu crucifíxi immíssum in corde excípere méruit, quo vulnerátus præmatúrum ádeo ad Religiónem osténdit ingénium, ut oratióni aliísque piis opéribus assídue vacáret, atque egrégiæ índolis virtutúmque exémplar provectióris quoque ætátis adolescéntibus proponerétur. Cum ita consummátæ prælusísset sanctitáti, adhuc vicénnis oblátas sibi amplas exósus divítias, ad Claustráles sancti Basilíi alúmnos convolávit. Monásticam régulam proféssus, mirum quos in evangélica perfectióne, suíque contémptu progréssus fécerit; assíduæ oratióni, sacrórum commentatióni librórum, jugíque córporis castigatióni inténtus. Núdipes enim in frigidíssima ejus regiónis híeme incedébat, carnes numquam, vinum nónnisi ex obediéntia adhíbuit, asperrimóque cilício ad mortem usque lumbos præcínxit. Arcta sui custódia, ac præsentíssimo Deíparæ auxílio, castitátis florem, quem ab adolescéntia eídem devóverat, inviolátum servávit. Virtútis doctrinǽque ejus brevi sic fama percrébuit, ut quamvis júnior, Byténii monastério præficerétur; mox in Vilnénsis Archimandrítæ locum suffectus sit. Anno dénique millésimo sexcentésimo décimo nono archiepíscopus Polocénsis licet invítus, gratulántibus vero cathólicis, renuntiátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v.

Hac dignitáte auctus, nihil de prióri vivéndi ratióne remíttens, nónnisi divínum cultum et creditárum sibi óvium, salútem cordi hábuit. Collápsis cleri et pópuli erigéndis móribus, vítiis exstirpándis, errántibus ad Christi caulam

reducéndis contínuo stúduit; in verbi Dei prædicatióne assíduus; ádeo in paúperes profúsus, ut cum olim inópiæ cujúsdam víduæ sublevándæ nihil áliud occúrreret, episcopále pállium oppignorári jússerit. Templi Dei decórem instaurávit, sacras vírginum ædes exstrúxit, xenodochíis aliísque piis opéribus juvándis suæ mensæ provéntus erogávit. Interim vero ecclesiasticórum júrium acérrimus adsértor, episcopálem jurisdictiónem, et Ecclésiæ bona a sæculáribus usurpáta vindicávit. Oblátam sibi ab hæréticis magnam vim auri, quo schismáticos presbýteros parœciárum regímini præfíci síneret, constánter recusávit, sibi non divítiis, sed animárum salúte opus esse affírmans et spíritus sancti donum mínime vendi posse. Evangélicæ præsértim unitátis ac veritátis strénuus propugnátor, totus enítuit, ut schismáticos hæreticósque ad comuniónem cum Petri sede redúceret. Summum Pontíficem ejúsque potestátis plenitúdinem ab impudentíssimis impiórum calúmniis qua privátis ac públicis conciónibus, qua scriptis pietáte ac doctrína plenis vindicáre numquam déstitit. Pro qua Ecclésiæ unitáte diu noctúque multis gemítibus Deum adprecári, seque acceptábilem víctimam offérre, voluntáriis sui córporis cruciátibus, consuévit. Ejus lácrymas atque indeféssos labóres, ubérrima est messis consecúta; nam incredíbile dictu est, quot hæréticos in sinum Ecclésiæ matris revocávit, ádeo ut verba sancti Gregórii Neocesariénsis epíscopi usurpáre posset, se cum paucos inítio sui pastorális offícii invenísset fidéles, adhuc paucióres morti próximum infidéles relínquere. Quin et Josaphátum uniónis Græcæ ecclésiæ cum Latína auctórem fuísse, pontifícia adhuc testántur orácula.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi.

Tot ac tam præclára cathólicæ fídei increménta infensíssimus humáni géneris hostis diu toleráre non póterat. Quare perditissimórum hóminum excitávit ódia, qui conspiratióne inita fortíssimum Christi athlétam ad necem quærerent. Quod ímpium fácinus ter aggréssi, Deo tutánte, haud explére potuérunt. Neque ínterim Josaphátum sceleráta latébant consília; quin impendéntem sibi necem, ípsemet in pública ad pópulum oratióne prædíxit. Nihil tamen horum véritus, Vitépscum, quo sui múneris partes in pastoráli visitatióne compléret, dehortántibus licet cathólicis, proféctus est. Hanc nefárii hómines opportúnam nacti occasiónem, tumúltum ex arte cient, archiepiscopáles invádunt ædes, óbvios quosque cædunt ac fériunt. Sanctíssimus vero præsul audíto clamóre, divíni magístri sui exémpla imitátus, sese quæréntibus óbviam facit, eósque amíce compellátus, filíoli, inquit, quare fámulos meos cǽditis? si áliquid contra me habétis, ecce adsum. Tum ímpetu in eum facto, omni telórum génere óbrutus ac demum secúri percússus invíctam exhalávit ánimam, ejúsque exánime corpus in flúvium projecérunt die duodécima Novémbris anni millésimi sexcentésimi vigésimi tértii. Sacrifícium servi sui Deum in odórem suavitátis excepísse, insígnia statim eo opitulánte, patráta mirácula ostendérunt. In primis autem sancti prǽsulis cruor parricídis ipsis prófuit; qui cápite damnáti, fere omnes ejuráto schísmate, crimen suum detestáti sunt: et corpus beáti prǽsulis mirábili luce circumfúsum ex imo flúminis álveo elátum est. Præclárum ítaque Christi athlétam Urbánus octávus prídie Idus Maji anno millésimo sexcentésimo quadragésimo secúndo beatórum Mártyrum catálogo adscrípsit. Subínde Pius nonus tértio Kaléndas Júlias anni millésimi octingentésimi sexagésimi séptimi, cum sæculária Apostolórum Príncipum festa haberéntur coram Patrum sanctæ Ecclésiæ Románæ Cardinálium senátu, simúlque adstántibus quingéntis fere Patriárchis, Metropólitis et Epíscopis cujúsque ritus, qui ex toto terrárum orbe convénerant, hunc ecclesiásticæ unitátis adsertórem primum ex orientálibus solémni ritu in Vaticána Basílica sanctórum órdini accénsuit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et

corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 59. in Joann.

Magnum quiddam, dilectíssimi, magnum, inquam, est Ecclésiæ prælátio; et quæ multa índiget sapiéntia et fortitúdine, qualem Christus propósuit; ut ánimam pro óvibus ponámus, et numquam illam deserámus, ut lupo generóse resistámus. Hæc enim inter pastórem et mercenárium est differéntia. Alter própriæ, contémptis óvibus; alter sua contémpta, óvium semper salúti invígilat. Pastóris ergo exémplo demonstráto, deceptóres duos méminit; furem mactántem et rapiéntem oves, et mercenárium permitténtem, neque defendéntem commíssas. ℟. Coróna aúrea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Expréssa.

Lectio viii.

Quod superióri témpore Ezéchiel his verbis insectátus est: væ pastóribus Israël: nonne pascébant semetípsos? nonne greges pascúntur a pastóribus? sed illi contrárium faciébant, quod máxime malítiæ genus est, et plurimórum causa malórum, idcírco, inquit; neque quod abjéctum erat, reducébant, neque quod períerat, quærébant: neque confráctum alligábant: neque infírmum consolidábant: quóniam se, non gregem pascébant. Idem et Paulus áliis verbis signíficat: omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. ℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cœléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Verum ab utróque se dissidére osténdit Christus: ab illis quidem qui in aliórum perníciem véniunt, cum dicat se proptérea venísse, ut vitam habérent: ab his autem, qui oves a lupis rapi negligébant, dicéndo se propter eas ánimam pónere, ne oves perírent. Nam cum Judǽi ipsum interímere vellent, non proptérea déstitit a doctrína, neque credéntes trádidit; sed pérstitit, et pértulit mortem: ídeo frequénter inquit: Ego sum pastor bonus. Quæ cum nullo niti testimónio videréntur (quod enim póneret ánimam suam, non multo post re demonstrátum est, quod autem vitam habérent et abundántius habérent eventúrum erat in futúro sǽculo) álterum ab áltero confírmat. Te Deum.

Die 27. Septembris.

In Translatione S. Stanislai Episc. et Mart. Patroni Regni Poloniæ.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

In I. Vesperis.

Capitulum. Hebr. 5.

Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis.

Hymnus.

Gaude, mater Polónia,
Prole fœcúnda nóbili,
Summi Regis magnália
Laude frequénta vígili.

Cujus benígna grátia
Stanisláí Pontíficis
Passiónis insígnia
Signis fulgens miríficis.

Hic certans pro justítia,
Regis non cedit fúriæ:
Stat pro plebis injúria
Christi miles in ácie.

Tyránni truculéntiam
Qui dum constánter árguit,
Martýrii victóriam
Membrátim cæsus méruit.

Novum pandit miráculum
Splendor in Sancto cœlicus,
Redíntegrat corpúsculum
Sparsum cœléstis médicus.

Sic Stanisláus Póntifex
Transit ad cœli cúriam,
Ut apud Deum ópifex
Nobis implóret véniam.

Poscéntes ejus mérita,
Salútis dona réferunt:
Morte prævénti súbita
Ad vitæ portum rédeunt.

Cujus ad tactum ánnuli
Morbi fugántur túrgidi;
Ad locum sancti túmuli
Multi curántur lánguidi.

Surdis audítus rédditur,
Claudis gressus offícium:
Mutórum lingua sólvitur,
Et fugátur dæmónium.

Ergo, felix Cracóvia,
Sacro dotáta córpore,
Deum, qui fecit ómnia:
Bénedic omni témpore.

Sit Trinitáti glória,
Laus, honor, jubilátio:
De Mártyris victória
Sit nobis exsultátio. Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. O beáte Stanisláe, Præsul plebis Cracóviæ, cujus signa victóriæ late patent Polóniæ: nam dono Christi grátiæ, pestes curántur váriæ. Tua, Martyr egrégie, festa coléntes hódie, Regi comménda glóriæ.

Oratio.

Deus, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit: præsta, quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Diœcesi Gnesn. et Posn.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ecce enim Stanisláus computátus est inter fílios Dei, et inter sanctos sors illíus est. Honorificávit eum Pater ætérnus, qui in cœlis est; céntuplum accépit in hac vita, et vitam ætérnam possédit. Nam qui vivus cæcis viam demonstrábat, mórtuus cæcos illúminat: qui vivus unum solum mórtuum, magna nostri orbis admiratióne, a mórtuis excitávit, mórtuus plures de sorte mortis sústulit: qui vivus ferro Bolesláí cessit, mórtuus univérsos exércitus atque ácies íntegras, piórum regum patrónus et adjútor, fugat. Itaque cum locus ille, ubi depósitus fuit, pópuli frequéntiam, quæ illuc opis causa confugiébat, continére non posset, Lambértus, hujus nóminis tértius, succéssor ejus, et princeps Wladisláus, divínis visiónibus admóniti, ossa sancti odórem suavíssimum spirántia, sancte ac reverénter in primárium templum Cracoviénse, sancti Wencesláí tum dictum, tránsferunt. Sic suo altári

Póntifex, cáthedræ doctor, templo epíscopus, pópulo pastor, post decénnium restitúitur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v.

Post centum tandem, et septuagínta annos éxcitat Dóminus spíritum Prandótæ epíscopi Cracoviénsis, viri sancti, Bolesláí item ducis, cum sua cónjuge Kinga fémina castíssima. Qui miráculis sancti epíscopi colléctis, et fide pública, tamquam igne probátis, legátos ad Iñocéntium quartum summum Pontíficem mittunt: atque ut tantum virum in númerum sanctórum reférre velit, diligénter precántur. Fit consultátio Assísii, ubi tum forte erat summus Póntifex. Inter álios tum unus adversabátur causæ divi Stanisláí, Reinhóldus Cardinális Ostiénsis, vir primæ auctoritátis; íncidit hic in gravem et lethálem morbum: cui in somnis appáret divus Stanisláus, et indígne illum fácere docet, qui Dei resístat voluntáti: excitátur senex, Divo se comméndat, convaléscit, causam ántea oppugnátam tuétur. Fit summus consénsus ómnium: epíscopus sanctus inter mártyres refértur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi.

Contígerat, Deo ita ordinánte, inter ipsam rem sacram, ut mórtuus adoléscens a matre in illud templum divi Francísci dictum deducerétur. Póntifex Deum supplex precátur, ut novo miráculo factum suum confírmet: érigit se súbito adoléscens: fit ingens lætítia ómnium. Summus Póntifex pro suggéstu grátias Deo agit: Mártyrem luculentíssima oratióne célebrat: diem octávam Idus Maji memóriæ ejus solémnem assígnat. Rédeunt legáti cum ingénti lætítia, annuntiántes, quanta Deus fecit cum Mártyre suo. Prandóta epíscopus ossa Sancti ex púlvere terræ súblevat, éaque

pro more sólito in altári condit, Bolesláo rege pudíco ac regína pudicíssima, ceterísque epíscopis ac dúcibus regni et vicinárum provinciárum assisténtibus. Et factum est in illa die gaúdium magnum: benedixítque Dóminus novíssimis Stanislái magis, quam princípio ejus.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

De verbis Domini, Serm. 50.

Audívimus Dóminum Jesum comendántem nobis boni pastóris offícium: in qua commendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres. Et tamen, ne intelligerétur pervérso modo multitúdo Pastórum: Ego sum, inquit, Pastor bonus; et unde sit pastor bonus, consequénter osténdit: Pastor, inquit, bonus ánimam suam pro óvibus ponit. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? nonne bonus pastor? nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Quid étiam iste sanctus Stanisláus? Nonne omnes pastóres boni, non mercenárii, de quibus dícitur: Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam? Omnes ergo illi pastóres boni, non solum quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed caritáte.

℟. O venerándam Mártyris constántiam, o prædicándam Stanislái præsulis fidem, qua in testem veritátis Boleslái regis sisténdum tribunálibus,* Petrum revocávit ab ínferis. ℣. Triénnem in túmulo, deficiéntibus a veritáte fíliis hóminum. Petrum.

Lectio viii.

Nam et apud hæréticos, qui propter iniquitátes

et erróres suos áliquid moléstiárum perpéssi fuérunt, nómine martýrii se jactant: ut hoc pállio dealbáti, facílius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, pastórem bonum, Paulum Apóstolum audíte: Quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ígnibus tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves. Si distribúero, inquit, ómnia mea paupéribus, et tradídero corpus meum ut árdeam (jam ipsi sunt, sed vide quid séquitur): caritátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Ecce venítur ad passiónem: ecce venítur et ad sánguinis effusiónem, venítur et ad córporum incensiónem: et tamen nihil prodest, quia cáritas deest. Adde caritátem, prosunt ómnia: détrahe caritátem, nihil prosunt cétera.

℟. Pastor cadit in gregis médio: dormit sponsus in sponsæ grémio: mater plorans gaudet in fílio: * Quia vivit victor sub gládio. ℣. Cleri plebísque cóncio in patris natalítio, júbilet cum tripúdio pro tanto benefício. Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix.

Quale bonum est cáritas ista, fratres! quid pretiósius? quid luminósius? quid fírmius? quid utílius? quid secúrius? Multa sunt Dei dona, quæ tamen habent et mali, qui dictúri sunt: Dómine, in nómine tuo prophetávimus: in nómine tuo dæmónia ejécimus: in nómine tuo virtútes multas fécimus. Nec respondébit ille: Non fecístis: non enim in conspéctu tanti Júdicis audébunt mentíri, aut jactáre, quæ non fecérunt; sed quia caritátem non habuérunt, respondébit ómnibus illis: Non novi vos. Quómodo autem habet vel exíguam caritátem, qui étiam convíctus non amat unitátem? Hanc Dóminus unitátem commendans pastóribus bonis, comméndans pastórem bonum, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli céteri, et posterióres sancti epíscopi, beátus Stanisláus. Omnes hi pastóres boni, et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus.

Te Deum laudámus.

18. Mai

In aliis Diœcesibus.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Stanisláus Scepanóvius Polónus, de nóbili Prussórum família, patre Velisláo, matre Bogna, piis et locuplétibus paréntibus, natus est. Hi, cum multis annis stériles essent, ad Deum, omnis fecunditátis auctórem, confúgiunt, ut pro sua benígna voluntáte illis líberos dare vellet; pacti voto se, quidquid id esset quod ex illis nascerétur, ipsi soli ejúsque cúltui sanctíssimo addictúros. Ad trigésimum tamen propémodum añum eórum desidéria differebántur. Unde cum conjícerent, id Deum nolle, quod illi summópere vellent, voluntátem suam divínæ voluntáti subjiciéntes omnem curam et sollicitúdinem a carne et sánguine ad fructus spíritus tránsferunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v.

Ecce vero adest præsens et nec opinátus quidem sine magna matris moléstia partus. Crescit, non magis córporis, quam ánimi víribus, modéstus, pudícus, ad omne genus doctrínæ, et pietátis propénsus puer. Quod dum paréntes vident, votis suis et púeri ingénio deésse nolunt. Gnesnam illum, et regni et litterárum tunc sedem, mittunt. Sed non diu hic nidus tantum pótuit continére ingénium: Lutétiam ígitur Parisiórum urbem, stúdiis litterárum ex antíquo célebrem, míttitur. Hic se totum cum áliis stúdiis, tum præcípue theológiæ ac juri canónico tradit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi.

Redit domum, tamquam ex mercatúra mercátor bonus: íntegris suis móribus, pietáte, modéstia, castitáte, sinceritáte, quæsítis multis, excellénti doctrína, rerum gerendárum dexteritáte summa. Fama ejus permótus Lambértus epíscopus Cracoviénsis, vir pius, júvenem reluctántem

magis quam se ingeréntem ad sacros órdines pértrahit. Sacerdótem primum, post canónicum ac prædicatórem Cracoviénsem facit. Sic Stanisláus, tamquam fecúnda et pretiósa planta in ubérius solum transláta, ubérrimos fructus réddere cœpit; in ómnibus seípsum præbens exémplum bonórum óperum: in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum et irreprehensíbile; ut ii, qui ex advérso essent, vereréntur, nihil habéntes dícere malum de illo. Quod dum Lambértus, sénio et ætáte conféctus, in illo videt, ipsum univérsæ ecclésiæ, atque ádeo dómui suæ tamquam álterum Joséphum præfécit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vita et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

Lect. III. Noct. ut supra. 40*

Ad Laudes.

Capitulum. Hebr. 5.

Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis.

Hymnus.

Invícte Martyr, únicum
Patris secútus Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cœléstibus.

Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tǽdium.

Solúta sunt jam víncula
Tui sacráti córporis,
Nos solve vinclis sǽculi,
Dono supérni Núminis.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sǽculum. Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Martyr Dei Stanisláus, gloriósus Póntifex, quem occídit Bolesláus truculéntus princeps, pastor bonus et patrónus, adsit nobis ópifex, et virtútum ártifex.

Oratio.

Deus, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit: præsta, quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur effléctum. Per Dñm.

Ad Tertiam.

Capit. Omnis Póntifex.

℟. br. Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória et. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Sextam.

Capitulum. Hebr. 5.

Qui condolére possit iis, qui ignórant et errant, quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Ad Nonam.

Capitulum. Hebr. 7.

Talis enim decébat, ut nobis esset Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cœlis factus.

℟. br. Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In. Glória Patri. Magna.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

In II. Vesperis.

Capitulum et Hymnus ut in I. Vesperis.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ant. Vir ínclyte Stanisláe, vita, signis, passióne, plebem tuam, pastor bone, fove benedictióne, gubérna protectióne, salva sancta intercessióne.

Die 28. Septembris.

S. Wenceslai Martyris Patr. Regni Poloniæ.

Duplex majus.

Cracoviæ autem in Eccl. Cathedr. Duplex 1. classis cum Oct.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beáti Wenceslái nobilitátem in meliórem mutásti dignitátem, et eum per Martýrii palmam ad cœléstem perduxísti glóriam: ejus précibus nos, quǽsumus, ab omni adversitáte líbera, et ætérnæ beatitúdinis concéde pérfrui glória. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. Fratres: Debitóres sumus. de Comm. plur. Mart. cum ℟℟. de uno Mart.

In II. Nocturno.

Extra Cathedr. Cracov.

Lectio iv.

Wencesláus Dux, et Martyr Bohémiæ patre christiáno Borzivójo, príncipe Bohémiæ, et matre Drahomíra gentíli natus, ad educándum áviæ féminæ sanctæ Ludmíllæ a patre tráditus, ab ea sic in omni pietáte et vitæ integritáte institútus est, ut primam virginitátem, quam ex útero matris suæ exportávit, perpétuo conserváret: cujus custódes álias amplíssimas virtútes, caritátem, humilitátem, modéstiam, verecúndiam, et orándi perseverántiam, adjúnxerat. Cui eídem áviæ, tanti viri alúmnæ, pater ejus móriens, omnem gubernatiónem regni commísit: cum Wencesláus adoléscens ad reipúblicæ régimen nondum matúrus esset, mater autem ímpie et crudéliter cum junióre fílio Bolesláo víveret, ac infidéles ambo more infidélium dominaréntur. Offénsa ea re Drahomíra, fúrere cœpit, ac vitæ Ludmíllæ insidiári. Quam ad extrémum, submíssis duóbus sicáriis, magis scélere quam génere nobílibus, per summum scelus interfécit: ipsa summa rerum cum ímprobo fílio potíta est, gravis suis, molésta ómnibus, christiánis inimicíssima.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit illi.

Lectio v.

Cujus injústum et poténtem dominátum dum ámplius Bohémi perférre non possent, Pragæ Wencesláum, jam adúltum júvenem, in regem éligunt, illíque habénas impérii comíttunt. Quod ille plus jejúnio, oratiónibus, cilício ac áliis piis opéribus rexit, quam império, illud plane óccinens: Sépties in die laudem dixi tibi super judícia justítiæ tuæ. Fuit hic in eo ardor oratiónis, quod summa hiéme nonnúmquam ex pédibus ejus sanguis efflúxerit: ac ex vestígiis ipsíus áliqui incalúerint. Aggréssus hunc regnúmque ejus erat dux Curiménsis Radisláus: cumque

multa frustra tentásset, ad extrémum ipsum ad singuláre certámen provocávit. Suscépit magno ánimo conditiónem magnus princeps, vita sua suórum salútem repræsentáre volens: verum Deus ipse crudélis pugnæ dirémptor fuit. Dum enim vir sanctus prælium ingressúrus equum conscéndit, adversárius ejus animadvértit illi ab Angelo hastam pórrigi, se vero ea voce monéri: Ne feri. Quare pertérritus, ex equo désilit, ad pedes sancti véniam petens prócidit: quem ad parcéndum, quam ad ulciscéndum paratiórem invénit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vi.

Invidet et genti et príncipi eam felicitátem géneris humáni hostis: ímpiam matrem, álteram Atháliam, in fúrias vertit. Hæc fílium suum, fratris Wenceslái male germánum, stímulat, ut de regno cógitet, fratrem de médio tollat. Súscipit malum semen ímprobus ager; in cædem fratris totus effúnditur; quem ad funéstum convívium vocat. Non recúsat justus Abel, nec ínscius, nec invítus: sacraméntis se præmúnit. Post fratérnam et hospitálem natális fílii mensam, próxima nocte ante templum orans cǽditur; fit Deo gratíssima hóstia. Nec diu tamen exsultávit scelus in victória: nam et matrem non ita multum post in arce Pragénsi terra absórpsit vivam, et fílius non diu gessit principátum, fratris sui sánguine comparátum. Alii per dǽmones exagitáti, umbram suam timéntes, sese præcípites in flumen dedérunt, submersíque sunt. Sanguis quidem justi Abel, qui hora passiónis multus fuit effúsus, ad Deum sancte clamans, multis et iterátis conátibus non pótuit aboléri.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória. Et corónam.

In Cathedr. autem Cracov.

Lectio iv.

Wencesláus Dux et Martyr Bohémiæ, patre christiáno Borzivójo príncipe Bohémiæ, et matre Drahomíra gentíli natus, ad educándum áviæ féminæ honestíssimæ Ludmíllæ a patre tráditus, ab ea sic in omni pietáte, et vitæ integritáte institútus est, ut eam virginitátem, quam ex útero matris suæ exportávit, perpétuo conserváret: cui custódes álias amplíssimas virtútes, caritátem, humilitátem, modéstiam, verecúndiam, orandíque perseverántiam, adjúnxerat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v.

Eídem áviæ, tanti viri alúmnæ, pater ejus móriens omnem gubernatiónem regni comíserat; cum Wencesláus adoléscens ad reipúblicæ régimen propter ætátem nondum matúrus esset, mater autem ímpie, et crudéliter cum junióre fílio Bolesláo víveret, ac infidéles ambo more infidélium dominaréntur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi.

Offénsa ea re Drahomíra, fúrere cœpit, ac vitæ Ludmíllæ insidiári. Quam ad extrémum, submíssis duóbus sicáriis, magis scélere quam génere nobílibus, per summum scelus interfécit; ipsa summa rerum cum ímprobo fílio potíta est, gravis suis, moléstа ómnibus, christiánis inimicíssima.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In III. Noct. Homil. in Evang. Si quis vult post me veníre. de Comm. unius Mart. 2. loco.

Quæ per totam Octavam, quando Officium fit de S. Wenceslao, repetitur.

Quinta die infra Octavam S. Wenceslai.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Injústum et poténtem dominátum Drahomíræ ac Boleslái dum ámplius Bohémi perférre non possent, Pragæ Wenceslâum jam adúltum júvenem in regem éligunt, illíque habénas impérii commíttunt. Quod ille plus jejúnio, oratiónibus, cilício, ac áliis piis opéribus rexit, quam império, illud plane óccinens: Sépties in die laudem dixi tibi super judícia justítiæ tuæ.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v.

Tanto fuit ardóre oratiónis, ut summa híeme nonnúmquam ex pédibus ejus sanguis efflúeret, ac ex vestígiis ipsíus plures incaléscerent. Aggréssus eum regnúmque ipsíus dux Curiménsis Radisláus, cum multa frustra tentásset, ad extrémum, ipsum ad singuláre certámen provocávit. Suscépit magno ánimo conditiónem magnus princeps, vita sua suórum salútem repræsentáre volens: verum Deus ipse crudélis pugnæ dirémptor fuit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi.

Dum enim vir sanctus prælium ingressúrus equum conscéndit, adversárius ejus animadvértit, illi ab Angelo hastam pórrigi: se vero ea voce monéri: Ne feri. Quare pertérritus, ex equo désilit, ad pedes Sancti véniam petens prócidit: quem ad parcéndum quam ad ulciscéndum paratiórem invénit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III. Noct. Homil. in Evang. ut in ipso die.

Sexta die infra Octavam S. Wenceslai.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Neque semel tamen, ut dictum est, Wenceslâo, Angeli, vitam angélicam ducénti, testimónium virtútis et sanctitátis reddidérunt; sed jam longe ante adolescénti in aula Ottónis imperatóris commoránti, qui illum a supérbo mundo despéctum, cruce aúrea divínitus signátum, in conspéctum imperatóris perduxérunt. Quare imperátor commótus, et in conséssum suum eum recépit, et bráchio sancti Viti donávit: in cujus honórem ille post amplíssimum templum Pragæ exstrúxit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v.

Invidet et genti et príncipi eam felicitátem géneris humáni hostis: ímpiam matrem, álteram Atháliam, in fúrias vertit. Hæc fílium, fratris Wencesláí male germánum, stímulat, ut de regno cógitet, fratrem de médio tollat. Súscipit malum semen ímprobus ager; in cædem fratris totus diffúnditur; quem ad funéstum convívium vocat.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi.

Non recúsat justus Abel, nec ínscius, nec invítus: sacraméntis se præmúnit. Post fratérnam et hospitálem mensam, próxima nocte ante templum orans cǽditur, fit Deo gratíssima hóstia. Nec diu tamen exsultávit scelus in victória: nam et matrem non ita multum post in arce Pragénsi terra absórpsit vivam, et fílius non diu gessit principátum fratris sui sánguine comparátum.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pa-

ne vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. ℟. Glória Patri. ℟.

In III. Noct. Homil. in Evang. ut in ipso die.

In die Octava S. Wenceslai Martyris.

Duplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Non effugérunt justam Dei vindíctam sócii et adminístri tanti facínoris. Alii per dæmones exagitáti, umbram suam timéntes, sese præcípites in flumen dedérunt, submersíque sunt; álii vero mente capti fugam iniérunt, et nusquam ámplius comparuérunt: álii autem váriis et grávibus morbis percússi, ut homínibus essent exósi, vitam miserabíliter finiérunt. Sanguis quidem justi Abel, qui hora passiónis multus fuit effúsus, ad Deum sancte clamans, multis et iterátis conátibus non pótuit aboléri.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. ℟.

Lectio v.

Cum enim a minístris in pariétibus et paviménto ecclésiæ ablútus esset, et pénitus detérsus, postrídie a fidélibus ecclésiam intrántibus multo magis visus est apparére. Idem sæpius ac veheméntius magna vi et conátu detérsus, magis visus appáruit, quantóque crébrius detergebátur, tanto magis paríetes cruentáti adspiciebántur. Minístri ítaque stupéntes super hoc miráculo, sánguinem deínceps ablúere cessavérunt. Sicque sanguis innocénter effúsus, in testimónium tanti parricídii, indelétus permánsit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℟.

Lectio vi.

Et domi quidem hæc subobscúrius, ob metum tyránni gerebántur, at qui hábitat in cœlis, non

passus est hæc obscúra fíeri: verum ad últimas usque ínsulas marísque extréma perférri. Regi Dániæ immíttit visiónem, eum de crudéli cæde regis sancti facit certiórem: in ejus honórem et memóriam templum amplíssimum sibi ædificári jubet: ut quem doméstica impíetas opprésserat, eum extérna píetas illustráret ornarétque.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. ℟. Glória Patri. ℟.

In III. Noct. Homil. in Evang. ut in ipso die festo.

Die 6. Octobris.

In Translatione S. Æschili Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequ.

Hymnus.

Jam dies adest célebris,
Nova resúltant cántica:
Quia fugátis ténebris,
Regnat fides cathólica.

Gaude parens Británnia
De tantæ prolis múnere:
Exsúlta magis, Suécia,
De novo lucis sídere.

Æschílus signis émicat,
Ritus confútans géntium,
Christum Auctórem prædicat,
Et Salvatórem ómnium.

Verbis, exémplis cláruit,
Salúti studens ómnium:
Tandem mortem sustínuit,
Migrans felix ad gaúdium.

Tibi sit laus et glória,
Coróna triumphántium:
Nos Æschíli prece pia
Duc ad cœli palátium. Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Æschíle flos præsulum, pater pietátis, clericórum spéculum, doctor veritátis, tuæ replet sæculum fama sanctitátis: junge tuum pópulum cívibus beátis.

Oratio.

Deus, qui beátum Æschílum Pontíficem tuum pro fídei dilatatióne martýrium subíre voluísti: præsta, quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Æschíli pro victória
Gaude mater Ecclésia,

Christi suffúlta grátia
Devóta fac tripúdia.

Pius, devótus, húmilis,
Vivéndi formam præbuit
In lege Dei, óculis,
Verbis, exémplis cláruit.

In fide luxit ómnibus
Per signa, per prodígia;
Mundum calcans sub pédibus,
Manum misit ad fórtia.

Mors córporis contémnitur,
Dum Christi mors atténditur;
Vincit ergo dum víncitur,
Magis vincit, cum móritur.

Tibi sit laus et glória,
Coróna triumphántium:
Nos Æschíli prece pia
Duc ad cœli palátium.
Amen.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne S. Ambrósii Epíscopi.

In natalibus Ss. Mart. Nazarii et Celsi.

Lectio iv.

Licet hic tantus Christi testis Vexionénsium peculiáris putétur privilégio sepúlchri, sed ómnium est communióne suffrágii. Neque enim istíus urbis cáritas próflua, et fídei avára, tantum huic Mártyri derogáverit, dum sibi árrogat, ut solum erga mœnia sua patrocínii illíus benefícia affutúra esse credíderit. Non claúditur locis, quod diffúnditur méritis. Invocásti ubíque Mártyrem, ubíque te exaúdit ille, qui honorátur in Mártyre. Moderánte ítaque eo qui pensat vota tua, et dispénsat múnera sua, in tantum vicína præséntia efficácis præbébitur advocári, in quantum fúerit fides devóta suscépti. Orátio enim, quæ castitátis, justítiæ, eleemosynárum opéribus adjuvátur, excédit mundum, pénetrat paradísum, évolat usque ad ipsum summæ majestátis, Angelo conferénte, conspéctum.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v.

Quæ cum ita sint, honorémus beátos Mártyres, príncipes fídei, intercessóres mundi, præcónes regni, cohærédes Dei. Quod si dicas mihi: Quid honóras in carne jam resolúta atque consúmpta, de qua jam

nulla Deo cura est? Et ubi est illud, caríssimi, quod ipsa Véritas lóquitur per Prophétam? Pretiósa, inquit, in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus. Et íterum: Mihi autem valde honorificáti sunt amíci tui, Deus. Honoráre debémus servos Dei; quanto magis amícos Dei, de quibus álio loco dícitur: Dóminus, inquit, custódit ómnia ossa eórum, et unum ex his non conterétur!

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi.

Honóro ígitur in carne Mártyris excéptas pro Christi nómine cicatríces: honóro vivéntis memóriam in perennitáte virtútis: honóro per confessiónem Dómini sacrátos cíneres: honóro in cinéribus sémina æternitátis: honóro corpus quod mihi Dóminum meum osténdit dilígere, quod me propter Dóminum mortem dócuit non timére. Cur autem non honórent corpus illud fidéles, quod reveréntur et dæmones, quod et afflixérunt in supplício, sed gloríficant in sepúlchro? Honóro ítaque corpus, quod Christus honorávit in gládio, quod cum Christo regnábit in cœlo.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

Homilia 17. in Evang.

Ad messem multam operárii pauci sunt; quod sine gravi mœróre loqui non póssumus: quia etsi sunt, qui bona aúdiant, desunt tamen, qui dicant. Ecce mundus sacerdótibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenítur operátor: quia offícium quidem sacerdotále suscípimus, sed opus offícii non

implémus. Fructus quippe sanctæ Ecclésiæ in stipéndio quotidiáno percípimus, sed tamen pro ætérna Ecclésia mínime in prædicatióne laborámus.

℟. Gaude, felix Suécia, lauda Salvatórem, quia de Británnia tibi dat pastórem, * Qui vas plenum grátia Christi dat odórem. ℣. Erránti tibi sit divínum dux in amórem. Qui.

Lectio viii.

Pensémus ergo, cujus damnatiónis sit, sine labóre hic percípere mercédem labóris. Pensémus, cujus sit apud Deum críminis, peccatórum prétium manducáre, et nihil contra peccáta prædicándo ágere. Pensémus ergo: qui umquam per linguam nostram convérsi? qui de pervérso suo ópere, nostra increpatióne corrépti, pœniténtiam egérunt? quis luxúriam ex nostra eruditióne deséruit? quis avarítiam, quis supérbiam declinávit? Pensémus, quod lucrum Deo fácimus nos, qui accépto talénto, ab eo ad negótium missi sumus. Etenim dicit: Negotiámini, dum vénio.

℟. Transit ab exsílio mundi rubricátus, in cœli rosário digne transplantátus: * Bino pollens præmio gaudet laureátus. ℣. Qui gregis sui ante Deum excúset reátus. Bino pollens. Glória Patri. Bino pollens.

Lectio ix.

Ecce jam venit; ecce de nostro negótio lucrum requírit. Quale ei animárum lucrum de nostra negotiatióne monstrábimus? Quot ejus conspéctui animárum manípulos de prædicatiónis nostræ ségete illatúri sumus? Ponámus ante óculos nostros illum tantæ districtiónis diem, quo judex véniet, et ratiónem cum servis suis, quibus talénta crédidit, ponet. Ecce in majestáte terríbili, inter Angelórum atque Archangelórum choros vidébitur. In illo tanto exámine electórum ómnium et reprobórum multitúdo deducétur, et unusquísque quid sit operátus, ostendétur. Te Deum.

Ad Laudes.

Hymnus.

Summi præcépta Dómini
Contempsérunt malévoli,
Et necem suo Præsuli
Paravérunt incréduli.

Percússus est lapídibus
Æschílus sicut Stéphanus,
Et sic pro occisóribus
Deum orat humíllimus.

Indúlge, ait, míseris,
Pater, dimítte vítia,
Christe, emúnda crímina;
Colláta indulgéntia.

Dei martyr egrégie,
Pro nobis Deum póstula,
Ut hunc queámus cólere
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. O Præsul mitíssime, pátriæ lucérna, lux erràntis ánimæ, dévios gubérna, ductor gregis óptime, nos duc ad supérna, ubi pascet íntime gregem lux ætérna.

Oratio.

Deus, qui beátum Æschílum Pontíficem tuum pro fídei dilatatióne martýrium subíre voluísti: præsta, quǽsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur effectum. Per Dóminum.

In II. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Vale pater pátriæ, fídei zelátor, turpis idololatríæ felix triumphátor, nóbilis Ecclésiæ doctor et fundátor, tuæ sis famíliæ jugis consolátor.

Die 7. Octobris.

S. Birgittæ Viduæ.

Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

Ad Vesperas.

Hymnus.

Hora consúrgit aúrea,
Lux absque nube rútilat,
Regna gaudent æthérea,
Mundus applaúdens júbilat.

Nam decor Regni Suéciæ,
Birgítta clari gérminis,
Clara jam videt fácie
Splendórem veri lúminis.

Ex fructuósa vínea
Virgo procéssit grácilis,
In ætáte virgínea
Pulchræ Rebéccæ símilis.

Spicas virtútum cólligit
Ruth post terga meténtium,
Quarum se granis réficit
Intra terram vivéntium.

Amátrix innocéntiæ
Castum ducens conjúgium:
Cor dedit sapiéntiæ,
Vanum postpónens gaúdium.

Jesu, nostra redémptio,
Fac nos in regnis cœlicis,
Hujus Patrónæ mérito,
Sanctórum frui gaúdiis.
Amen.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Birgítta Christi fámula fidélis in of-

fício, tu felix Anna vídua, templi vacans servítio, Rachel amóre férvida, Jacob placens consórtio, salus ægrótis plácida, devótis consolátio, splendens justórum sémita, mœstórum recreátio, fiat per tua mérita grata nostra devótio; quæ réseras abscóndita, nos offer lucis rádio.

Oratio.

Dómine Deus noster, qui beátæ Birgíttæ per Fílium tuum unigénitum secréta cœléstia revelásti: ipsíus pia intercessióne da nobis fámulis tuis, in revelatióne sempitérnæ glóriæ tuæ gaudére lætántes. Per eúmdem Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Birgítta, in Suécia, illústribus et piis paréntibus orta, sanctíssime vixit. Cum adhuc in útero gestarétur, a naufrágio propter eam mater erépta est. Decénnis post audítum de passióne Dómini sermónem, sequénti nocte Jesum in cruce, recénti sánguine perfúsum, vidit, et de eádem passióne secum loquéntem. Quo ex témpore in ejúsdem meditatióne ita afficiebátur, ut de ea sine lácrymis cogitáre deínceps numquam posset.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v.

Ulfóni, Nerícíæ príncipi, in matrimónium trádita, virum ipsum ad pietátis offícia, tum óptimis exémplis, tum efficácibus verbis adhortáta est. In filiórum educatióne piíssima, paupéribus, et máxime infírmis, domo ad id múneris dicáta, inserviébat quam diligentíssime, illórum pedes sólita laváre et osculári. Cum autem una cum viro suo redíret Compostélla, ubi sancti Jacóbi Apóstoli sepúlchrum visitáverant, et Atrébati Ulfo gráviter ægrotáret, sanctus Dionýsius Birgíttæ noctu appáruit, et de maríti salúte aliísque de rebus quæ futúræ erant, præmónuit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Viro Cisterciénsi mónacho facto, et paulo post defúncto, Birgítta, audíta Christi voce in somnis, arctiórem vitæ formam est aggréssa. Cui deínde arcána multa fuérunt divínitus reveláta. Monastérium Vastanénse sub régula sancti Salvatóris, ab ipso Dómino accépta, instítuit. Romam Dei jussu venit, ubi plúrimos ad amórem divínum veheménter accéndit. Inde Jerosólymam pétiit, et íterum Romam. Qua ex peregrinatióne cum in febrim incidísset, grávibus per annum íntegrum afflictáta morbis, cumuláta méritis, prænuntiáto mortis die, migrávit in cœlum. Corpus ejus ad Vastanénse monastérium translátum est: et miráculis illústrem Bonifácius nonus in sanctórum número rétulit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 11. d.

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

In idem Evangelium.

Cœléstium verbórum arcána atque virtútes sapiéntibus abscondúntur, et párvulis revelántur: párvulis malítia, non sensu, sapiéntibus vero stultítiæ suæ præsumptióne, non prudéntiæ causis. Factíque hujus æquitátem Dóminus patérnæ voluntátis judício confírmat: ut qui dedignántur párvuli in Deo fíeri, stulti deínceps in sapiéntia sua fiant.

℟. O fácies Mosáica, solis corúscans rádiis, sanctitáte magnífica, magnis clarens prodígiis: * In réquie pacífica Sponsi fruens convíviis. ℣. O fémina mirífica, contínuis lætífica servos tuos præsídiis. In.

Lectio viii.

Ac ne quid in illo minus, quam quod in Deo, æ-

stimarétur, ómnia sibi a Patre ait trádita esse, solíque se Patri cógnitum. Patrémque soli sibi notum, vel cui ipse reveláre voluísset, revelatúrus ei, a quo, ut reveláre velit, orétur. Qua revelatióne tandem utriúsque in mútua cognitióne esse substántiam docet, eum qui Fílium cognósceret, Patrem quoque cognitúrus esset in Fílio; quia ómnia a Patre ei sunt trádita. Trádita autem non ália sunt, quam quæ in Fílio soli nota sunt Patri: nota vero Fílio soli esse quæ Patris sunt. Atque ita in hoc mútuæ cognitiónis secréto, intellígitur non áliud in Fílio, quam quod in Patre ignorábile sit, exstitísse.

℟. O canálem mundíssimum, super quem de cœli cárdine fluit, ut ros elóquium ignítum sancto flúmine: * Mentes inflámma hóminum interióri lúmine. ℣. Ora Birgítta Dóminum, ut nos post vitæ términum cœlórum locet ágmine. Mentes. Glória Patri. Mentes.

Lectio ix.

Legis deínde difficultátibus laborántes, et peccátis sǽculi onerátos ad se ádvocat, dempturúmque se labórem onúsque promíttit, si modo ejus jugum tollant, mandatórum scílicet suórum præcépta suscípiant, eúmque sacraménto crucis ádeant; quia corde húmilis et mitis sit, et in his animábus suis réquiem invéniant, jugi suávis et levis óneris blandiménta propónens; ut credéntibus ejus boni sciéntiam præstet, quod solus ipse novit in Patre. Et quid jugo ipsíus suávius? Quid ónere lévius? Probábilem fíeri, scélera abstinére, bonum velle, malum nolle, amáre omnes, odísse nullum, ætérna cónsequi, præséntibus non capi, nolle inférre álteri, quod ipse sibi pérpeti sit moléstum.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes.

Hymnus.

Cœli perórnat gaúdia,
Causam præstet lætítiæ
Birgítta, rosa fúlgida,
Pax et decus Ostgóthiæ.

Beáta pauper spíritu
Palmas exténdens paúperi,
Læto vultus intúitu
Manum porréxit ínopi.

Solúto matrimónio,
Postquam vir mundo móritur,

Devóto cordis ósculo
Christum Sponsum ampléctitur.

Sponsus diléctam súscitat,
Veni, vocans, ad Líbanum,
Surgit amíca, próperat,
Regálem petens thálamum.

Montes petit arómatum
Hæc áffluens delíciis,
Donis plena charísmatum
Vitam servat a vítiis.

Jesu, nostra redémptio,
Fac nos in regnis cœlicis,
Hujus Patrónæ mérito,
Sanctórum frui gaúdiis.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Coróna sponsa prǽdita, præsentáta per Vírginem, plebem devótam vísita, tuam rege progéniem, umbram mortis illúmina, noctis aufer calíginem, pedes nostros justífica in pacis pulchritúdinem.

In II. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Vale suávis música, demúlcens aures príncipum: tu Gedeónis búccina, castra detérrens hóstium: tu dulcis tympanístria, corda movens fidélium: convérte, mater ínclyta, luctum nostrum in gaúdium.

Die 10. Octobris.

Officium

Gratiarum actionis

pro Victoria ex Turcis año MDCXXI. eodem die obtenta.

Duplex majus.

In I. Vesperis.

Ant. et Capit. de Laud.; Ps. ut in I. Vesp. de Comm. Apost.

Hymnus.

Supérne regum Rex bone,
Fons pacis et victóriæ,
Deus Pater sperántium,
Ultor superbiéntium;

Ad jussa cujus túrgidæ
Maris procéllæ súbsident,
Iras leónes éxuunt,
Sol stat stupens, nec se movens.

Quo fulguránte, désuper
Gentes feróces éxpavent,
Hostes tremunt, mali fremunt,
Boni triúmphant gaúdio.

Tu bárbaros Osmánnicos
Apros fugas e vínea,
Polóniæ regnum tuæ
A clade dira víndicans.

Ergo tuo celsíssimo
Sit nómini laus, glória,
Qui trinus ac unus Deus,
Per sæcla vivis ómnia.
Amen.

℣. Sancti per fidem fortes facti sunt in bello. ℟. Castra vertérunt exterórum.

Ad Magnif. Ant. Benedíctus Dóminus Deus noster,

qui docet manus nostras ad prælium, et dígitos nostros ad bellum.

Oratio ut ad Laudes.

Ad Matutinum.

Invit. Regem, qui rédimit de intéritu vitam, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus. Supérne regum. ut supra.

In I. Nocturno.

Ant. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem.

Psalmus 8.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas: ínsuper et pécora campi:

Vólucres cœli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem.

Ant. Dignus es, Dómine, accípere glóriam, honórem, et virtútem.

Psalmus 18.

Cœli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam: * a summo cœlo egréssio ejus.

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa:

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Dignus es, Dómine, accípere glóriam, honórem, et virtútem.

Ant. Tua est, Dómine, magnificéntia, et poténtia, et glória, atque victória.

Psalmus 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino, * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Tua est, Dómine, magnificéntia, et poténtia, et glória, atque victória.

℣. Bénedic ánima mea Dómino. ℟. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio i. Cap. 15.

Et Nicánor quidem cum summa supérbia eréctus cogitáverat commúne trophæum statúere de Juda. Machabæus autem semper confidébat cum omni spe auxílium sibi a Deo affutúrum: et hortabátur suos, ne formidárent ad advéntum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cœlo, et nunc sperárent ab Omnipoténte sibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de lege et Prophétis, ádmonens étiam certámina, quæ fécerant prius, promptióres constítuit eos; et ita ánimis eórum eréctis, simul ostendébat géntium falláciam, et juramentórum prævaricatiónem. Síngulos autem illórum armávit, non clýpei et hastæ munitióne, sed sermónibus óptimis, et exhortatiónibus. Exhortáti ítaque Judæ sermónibus bonis valde, de quibus extólli posset ímpetus, et ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre et confligere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret.

℟. Fácile est conclúdi multos in manu paucórum; non est differéntia in conspéctu Dei cœli,* Liberáre in multis, et in paucis. ℣. Non in multitúdine exércitus victória belli, sed de cœlo fortitúdo est. Liberáre.

Lectio ii.

Et cum jam omnes sperárent judícium futúrum, hostésque adéssent, atque exércitus esset ordinátus, béstiæ equitésque opportúno in loco compósiti, consíderans Machabæus advéntum multitúdinis, et apparátum várium armórum, et ferocitátem bestiárum, exténdens manus in cœlum, prodígia faciéntem Dóminum invocávit, qui non secúndum armórum poténtiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victóriam. Dixit autem ínvocans hoc modo: Tu Dómine, qui misísti Angelum tuum sub Ezechía rege Juda, et interfecísti de castris Sennácherib centum octogínta quinque míllia: et nunc dominátor cœlórum

mitte Angelum tuum bonum ante nos in timóre, et tremóre magnitúdinis bráchii tui, ut métuant qui cum blasphémia véniunt advérsus sanctum pópulum tuum.

℟. Quis símilis tui in fórtibus Dómine, quis símilis tui? Magníficus in sanctitáte: * Terríbilis, atque laudábilis, et fáciens mirabília. ℣. Dux fuísti in misericórdia pópulo, quem redemísti. Terríbilis.

Lectio iii.

Nicánor autem, et qui cum ipso erant, cum tubis et cánticis admovébant. Judas vero, et qui cum eo erant, invocáto Deo, per oratiónes congréssi sunt: manu quidem pugnántes, sed Dóminum córdibus orántes, prostravérunt non minus trigínta quinque míllia, præséntia Dei magnífice delectáti. Cumque cessássent, et cum gaúdio redírent, cognovérunt Nicánorem ruísse cum armis suis. Facto ítaque clamóre, et perturbatióne excitáta, pátria voce omnipoténtem Dóminum benedicébant. Itaque omnes commúni consílio decrevérunt nullo modo diem istum absque celebritáte præteríre.

℟. Procidébant vigínti quátuor senióres ante sedéntem in throno, et adorábant vivéntem in sǽcula sæculórum. * Et mittébant corónas suas ante thronum. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, honórem, et virtútem. Et mittébant. Glória Patri. Et mittébant.

In II. Nocturno.

Ant. Adónai Dómine, magnus es tu, et præclárus in virtúte tua, et quem superáre nemo potest.

Psalmus 46.

Omnes gentes, plaúdite mánibus: * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis: * rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam: * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo, * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite: * psállite regi nostro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham: * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Ant. Adónai Dómine, magnus es tu, et præclárus in virtúte tua, et quem superáre nemo potest.

Ant. Non in multitúdine exércitus victória belli, sed de cœlo fortitúdo est.

Psalmus 47.

Magnus Dóminus et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Non in multitúdine exércitus victória belli, sed de cœlo fortitúdo est.

Ant. Vir obédiens loquétur victóriam, vir ímpius procáciter obfírmat vultum suum.

Psalmus 71.

Deus, judícium tuum regi da: * et justítiam tuam fílio regis:

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et paúperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * et colles justítiam.

Judicábit paúperes pópuli, et salvos fáciet fílios

paúperum: * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus: * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare: * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit paúperem a poténte: * et paúperem cui nón erat adjútor.

Parcet paúperi et ínopi: * et ánimas paúperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum: * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper: * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus: * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula: * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël, * qui facit mirabília solus:

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum: * et replébitur majestáte ejus omnis terra: fiat, fiat.

Ant. Vir obédiens loquétur victóriam, vir ímpius procáciter obfírmat vultum suum.

℣. Iste Deus meus, et glorificábo eum. ℟. Deus Patris mei, et exaltábo eum.

Lectio iv.

Sigismúndo tértio rege, Osmánnus Turcárum tyráñus, imménsis ex Európa, Asia, Africa contráctis cópiis, Tartarórum étiam príncipe, qui longe majórem justo ducébat exércitum, in belli societátem accíto, reipúblicæ christiánæ vastitátem atque excídium mínitans, in Polóniam movit. Tanti adventántis hostis

fama mínime consternátus Sigismúndus, cum sciret, non in multitúdine exércitus victóriam, sed de cœlo esse fortitúdinem, ope divína supplíciter imploráta, Dei Genitríce regníque Patrónis conciliátis, fórtiter constantérque bellum suscépit.

℟. Tu venis ad me cum gládio, et hasta, et clýpeo. * Ego autem vénio ad te in nómine Dómini exercítuum. ℣. Dabit te Dóminus in manu mea, et percútiam te, et aúferam caput tuum. Ego.

Lectio v.

Præmíssus ad fines Polóniæ non máximo número exércitus, qui hostem sustinéret, dum Sigismúndus omnem regni nobilitátem trahens adveníret. Castra in hostíli ditióne ad Chócimum pósita, ut bellum pótius inférre, quam illátum repéllere Polóni videréntur. Décies, et quidem cómite semper victória, ácie pugnátum: tóties a castrórum oppugnatióne ingénti cum clade rejéctus hostis, tóties erupére nostri felíciter, Turcárum statiónes próspere tóties incursavére, ut Dóminum exercítuum a nobis stare apertíssime patéret.

℟. Persequebátur unus mille, * Et duo fugábant decem míllia. ℣. Nonne ídeo quia Deus suus véndidit eos, et Dóminus conclúsit illos? Et.

Lectio vi.

Fracta tandem tot cládibus inflíctis Osmánni contumácia, cum se frustra advérsus Deum pugnáre intellexísset, ad ipsos Polóniæ fines eódem in loco mensem íntegrum, eóque ámplius hæsísset inglórius, sexagínta mílitum míllia cæsa desideráret, majórem longe númerum belli incómmoda absumpsíssent, stratos suórum cadavéribus úndique campos cérneret, ipse jam Sigismúndus cum Polóniæ flore majóribus cópiis imminéret; qui bellum intúlerat, pacem expétiit, acceptísque conditiónibus, sexto Idus Octóbris, prior castra movit, ex appetíta armis Polónia nihil omníno præter ignomíniam et dédecus reportatúrus. Is dies, in tanti benefícii memóriam, ut Deo sacer, festúsque Polóniæ ac solémnis perpétuo in pósterum foret, Sigismúndus ipse rex, regníque antístites a Gregório quintodécimo impetravére: mox Wladisláo, qui parénti succésserat, et in castris belli témpore fúerat, ut próprio ac peculiári Offício ad grátias agéndas accommodáto Horas canónicas eódem die Polónia persólveret, Urbánus octávus indúlsit.

℟. Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine. * Déxtera tua Dómine percússit inimícum. ℣. In multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos. Déxtera. Glória Patri. Déxtera.

In III. Nocturno.

Ant. Ædificávit Móyses altáre, et vocávit nomen ejus, Dóminus exaltátio mea.

Psalmus 95.

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dñs, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Comoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in géntibus quia Dñs regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, et exsúltet terra: commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Ædificávit Móyses altáre, et vocávit nomen ejus, Dóminus exaltátio mea.

Ant. Dóminus cónterens bella, Dóminus nomen est illi.

Psalmus 96.

Dóminus regnávit, exsúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu ejus: * justítia et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini: * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum: de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dño: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Dóminus cónterens bella, Dóminus nomen est illi.

Ant. Dóminum formidábunt adversárii ejus, et super ipsos in cœlis tonábit.

Psalmus 97.

Cantáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi: * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini: * moveátur mare, et plenitúdo ejus: orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Dóminum formidábunt adversárii ejus, et super ipsos in cœlis tonábit.

℣. Bénedic ánima mea Dómino. ℟. Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 21. b.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

Homilia 35. in Evang.

Dóminus ac Redémptor noster peritúri mundi præcurréntia mala denúntiat, ut eo minus pertúrbent veniéntia, quo fúerint præscíta. Minus enim jácula fériunt quæ prævidéntur: et nos tolerabílius mundi mala suscípimus, si contra hæc per præsciéntiæ clýpeum munímur. Ecce enim dicit: Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet enim primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Pensánda sunt verba Redemptóris nostri, per quæ nos áliud intérius, áliud extérius passúros esse denúntiat. Bella quippe ad hostes pértinent, seditiónes ad cives. Ut ergo nos índicet intérius exteriúsque turbári, áliud nos fatétur ab hóstibus, áliud a frátribus pérpeti.

℟. Réddidit Dóminus justis mercédem labórum suórum, et dedúxit eos in via mirábili: * Et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem. ℣. Tránstulit eos per mare rubrum, et transvéxit eos per aquam nímiam. Et.

Lectio viii.

Sed his malis præveniéntibus, quia non statim finis sequátur, adjúngit: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Ultima tribulátio multis tribulatiónibus prævenítur; et per crebra mala quæ prævéniunt, indicántur mala perpétua quæ subsequéntur. Et ídeo post bella et seditiónes non statim finis, quia multa debent mala præcúrrere, ut malum váleant sine fine nuntiáre.

℟. Justi tulérunt spólia impiórum, et decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum: * Et victrícem manum tuam laudavérunt

páriter. ℣. Sapiéntia apéruit os mutórum, et linguas infántium fecit disértas. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Sed cum tot signa perturbatiónis dicta sint, opórtet ut eórum consideratiónem bréviter per síngula perstringámus: quia necésse est, ut ália e cœlo, ália e terra, ália ab eleméntis, ália ab homínibus patiámur. Ait enim: Surget gens contra gentem, ecce perturbátio hóminum: erunt terræmótus magni per loca, ecce respéctus iræ désuper: erunt pestiléntiæ, ecce inæquálitas córporum: erit fames, ecce sterílitas terræ: terrorésque de cœlo et tempestátes, ecce inæquálitas áëris. Quia ergo ómnia consummánda sunt, ante consummatiónem ómnia perturbántur: et qui in cunctis delíquimus, in cunctis ferímur, ut impleátur quod dícitur: Et pugnábit pro eo orbis terrárum contra insensátos.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes
et per Horas.

Ant. 1. Cantémus Dómino: * gloriósе enim magnificátus est, equum et ascensórem dejécit in mare.

Psalm. Dóminus regnávit. cum reliquis de Dominica.

2. Déxtera tua, * Dómine, magnificáta est in fortitúdine: déxtera tua percússit inimícum.

3. Arcus fórtium * superátus est, et infírmi accíncti sunt róbore.

4. Justi decantavérunt, * Dómine, nomen sanctum tuum: et victrícem manum tuam laudavérunt páriter.

5. Ego autem * in Dómino gaudébo, et exsultábo in Deo Jesu meo.

Capitulum. 2. Cor. 1.

Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

Rex magne, Rex altíssime,
Virtútis e throno tuo
Æternitátem pártiens,
Et regna mundi tránsferens.

Quam sunt inaccéssæ tui
Profunditátes consílii!
Ut est procul cœlum sole,
Arcána sic procul tua.

Thrax en furóris férrea
Qui virga divíni fuit,
Nunc ipse pœnas ácriter
Jussu tuo demens luit.

Sic corda, quando céteris
Cædem supérbe détonant,
Cædúntur, et casu suo
Dei timórem prædicant.

Patri Deo sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu, qui pérpeti
Mundum regit custódia.
Amen.

℣. Non est símilis tui in diis, Dómine. ℟. Et non est secúndum ópera tua.

Ad Bened. Ant. Benedícimus Deum cœli, et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei, quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Oratio.

Deus, qui in summis Regni nostri perículis antíqua bráchii tui mirácula renovásti: súscipe gratiárum actiónes exsultántium populórum, et quibus tanti gaúdii causam præstitísti, perpétuæ fructum concéde lætítiæ. Per Dóminum.

Ad Tertiam.

Capit. Benedíctus Deus.

℟. br. Justi decantavérunt, Dómine, * Nomen sanctum tuum. Justi. ℣. Victrícem manum tuam laudavérunt páriter. Nomen. Glória Patri. Justi.

℣. Adorábant Sancti vivéntem in sǽcula. ℟. Et mittébant corónas suas ante thronum Dei.

Ad Sextam.

Capitulum. Sap. 12.

O quam bonus et suávis est, Dómine, spíritus tuus in ómnibus! Ideóque eos qui exérrant, pártibus córripis, et de quibus peccant, ádmones et allóqueris; ut relícta malítia, credant in te, Dómine.

℟. br. Adorábant Sancti * Vivéntem in sǽcula. Adorábant. ℣. Et mittébant corónas suas ante thronum Dei. Vivéntem. Glória Patri. Adorábant.

℣. Dignus es, Dñe Deus noster. ℟. Accípere glóriam, honórem, et virtútem.

Ad Nonam.

Capitulum. Sap. 12.

Tu autem dominátor virtútis, cum tranquillitáte júdicas, et cum magna reveréntia dispónis nos: subest enim tibi, cum volúeris, posse.

℟. br. Dignus es * Dómine Deus noster. Dignus. ℣. Accípere glóriam, honórem, et virtútem. Dómine. Glória Patri. Dignus.

℣. Ab insurgéntibus in me exaltábis me. ℟. A viro iníquo erípies me.

In II. Vesperis.

Omnia ut in I. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Dómine Rex omnípotens, in ditióne

tua cuncta sunt pósita, et non est qui possit resístere voluntáti tuæ, si decréveris salváre Israël.

Die 11. Octobris.

Ss. Gereonis et Soc. Martyrum.

Duplex.

Pro Diœcesi Gnesnensi.

Omnia de Comm. plurimorum Martyrum 2. loco, præter Orationem sequ.

Oratio.

Deus, qui hunc diem beatórum Mártyrum tuórum Gereónis Sociorúmque ejus passióne consecrásti: præsta quǽsumus; ut eórum suffrágia apud Te sentiámus in cœlis, quorum hic solémnia pio amóre venerámur in terris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Die 15. Octobris.

S. Hedwigis Viduæ, P. R. P.

Duplex majus.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter sequentia.

Oratio.

Deus, grátiæ dator et glóriæ, tuæ nobis propítius sinum pietátis áperi, et præsta; ut qui manéntem civitátem hic non habémus, ad futúram, quam quǽrimus, beátæ Hedwígis interveniénte suffrágio, perducámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lect. Mulíerem fortem. de Communi nec Virg. nec Mart.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Hedwígis Bertholdi Marchiónis Moráviæ Cómitis Tyrolénsis; et Agnétis fília, sanctæ Elisabéthæ matértera, duodécimo anno Henríco Longobárdo, príncipi Polóniæ et Bohémiæ, in matrimónium data, illud semper honorábile et immaculátum custodívit, nullum jejúnium aut diem festum júdicans, quem castitátis mérito non condivísset. Nihilóminus in summa castitáte et continéntia facta est sicut vitis abúndans in latéribus domus suæ, et fílii ejus sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ. Fílios enim tres, totidémque fílias viro suo prótulit. Ex quibus Henrícus, fórtia pro religióne christiána aggréssus, et tamquam alter Judas Machabǽus, castra Dei contra Tártaros prótegens, martýrii palmam proméruit. Fília Gertrúdis virgo perpétua permánsit. Fructu matrimónii Hedwígis

quæsíto, redditísque noválium frúctibus, feriári ab ópera connubiáli íncipit: éadem maríto persuádet. Fit spirituális desponsátio in manu Pontíficis; vívitur inter sponsos angélica vita per annos vigínti octo, non coram homínibus tantum, sed étiam coram Deo.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v.

Parat deínde Hedwígis sedem futúræ castitáti; amplíssimum Trebnicénse monastérium éxstruit, fíliam Gertrúdem prius illuc præmíttit; magnos greges vírginum sanctárum cólligit: ipsa demum conséquitur. In oratióne diúrna atque noctúrna, nudis étiam média híeme pédibus assídua, in jejúniis multis per totos quadragínta annos perseverávit; ita ut die Domínica, tértia et quinta féria píscibus et lactáriis tantum, sábbato et féria secúnda áridis legumínibus, quarto et sexto die aqua et pane solo dumtáxat vescerétur. Pedes paúperum, quos trédecim semper ubíque secum circumdúxit, lavit: últcera eórum ligávit, captívos redémit, súbditos oppréssos tutáta est. Iráta a némine umquam visa est, conténta ea objurgatióne: Deus tibi parcat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Non cáruit diva Hedwígis miraculórum ac prophetíæ spíritu, et grátia: et duábus Sanctimoniálibus visum restítuit, et duos recénter suspénsos, magna ómnium admiratióne, ad vitam revocávit. Mortis item maríti sui tempus et ratiónem longe ante prædíxit: et fílii eódem modo, cujus cædem eo ipso, quo cæsus est, die in remotíssimis pártibus cognóvit: et ipsa diem sui óbitus multo prius præsénsit et prædíxit. Itaque priúsquam morbo gravi corrépta fuísset, sacram Unctiónem accépit. Sanctimoniáles se ægram sine permissióne superiórum inviséntes répulit; nihil sanctum

esse docens, quod cum obediéntia majórum suscéptum non esset. Priúsquam morerétur, magna hilaritáte sanctos cum spléndida luce ad se veniéntes salutávit. Mórtua est die sancti Matthǽi hora vespertína, qua jejúnia sua pane solo refícere solébat, anno salútis humánæ millésimo ducentésimo quadragésimo tértio. Ac post multis éditis miráculis, in númerum sanctórum a Cleménte quarto reláta est. In cujus canonizatióne múlier cæca vísui restitúta est.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III. Noct. Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum thesaúro. de Comm. nec Virg. nec Mart.

Die 16. Octobris.

S. Brunonis Ep. et Mart. Apost. Prussiæ.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart., præter sequentia.

Oratio.

Misericordíssime Deus, pro cujus fídei propagatióne, sanctus Bruno, Epíscopus et Martyr, in his terris sánguinem liberáliter effúdit: miserére animárum pópuli tui, eásque a culpis ac pœnis líberas, in Sanctórum tuórum númerum misericordíssime ínferas. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Sanctus Bruno, Apóstolus, Epíscopus ac Martyr gloriosíssimus Prutenórum, qui pópuli ad mare Bálthicum constitúti regiónem septentrionálem, rerum ubertáte floréntem, íncolunt, ex Germánia ortum duxit. Paréntibus antíqua nobilitáte, et multis ópibus claris éditus, genus suum virtútis splendóre, animárum ad Christum convertendárum zelo, liberáli sánguinis ob cathólicæ Jesu Christi fídei propagatiónem, profusióne, clárius illustrávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et dedit illi.

Lectio v.

Puer ab Ida venerábili matre sua integérrime educátus, Gidóni philósopho lítteris ac sciéntiis imbuéndus commendátur. Ea vero júvenis lectíssimus pietáte in Deum semper fuit, ut nihil prætérquam pietátem, beáta ipsíus ánima spiráret redolerétque. Ludéntibus coætáneis, ac ótio déditis, Bruno oratiónis ad Deum fundéndæ jugi stúdio, modéstia sénsuum et linguæ continéntia, salutaríque negotiórum piórum occupatióne assíduo delectabátur. Adoléscens ab Othóne imperatóre hujus nóminis tértio, in aulam evocátus, paulo post ab aulæ moléstiis ac perículis prudénti consílio, ad monásticam ac tranquíllam sese vitam, divi Benedícti institutiónis compléctens, tránstulit: ad quam étiam vivéndi normam patrem próprium Brunónem annis gravem perdúxit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et voluntáte.

Lectio vi.

Zelo animárum Jesu Christo lucrandárum incénsus, cum licéntiam prædicándi inter bárbaras, ac veri Dei cultus expértes gentes Evangélii a Románo Pontífice impetravísset, per Tagmónem archiepíscopum Magdeburgénsem in epíscopum consecrátus, Prússiæ provínciam ádiit: cujus omnes íncolæ, dæmonis fraude obcæcáti, necdum ullam Dei creatóris sui cognitiónem tenébant. Quam notítiam cum eis sanctus Bruno náviter ac constánter ingéreret, Christúmque humáni géneris víndicem ac júdicem palam prædicáret, barbarórum in se hóminum, diábolo ánimos exstimulánte, iras ac ódia concitávit. Qui cum sanctum epíscopum in prædicándi múnere acérrime impedírent, non modo minas eórum ac furórem contémpsit, sed étiam longe alácrius Evangélium propagávit. Qua de causa ab ímpiis idolólatris intercéptus, cum ei inítio manus sanctæ, ac pedes essent præcísi, demum cápite, una cum decem et octo commilitónibus obtruncátur décimo sexto Kaléndas Mártii,

anno partæ salútis millésimo octávo.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória. Et.

In III. Noct. Homil. in Evang. Si quis venit ad me. de Comm. unius Mart. 1. loco.

Die 20. Octobris.

In Translatione S. Adalberti Ep. et Mart. Patr. Regni Poloniæ.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

In I. Vesperis.

Hymnus.

O Martyr invictíssime,
Plus fórtibus fortíssime,
Quis glorióso cántico
Nomen tuum sat cóncinat?

Afflátus almo Número
Oras adis Panóniæ,
Ibíque regem dógmate,
Prolémque firmas chrísmate.

Urbes Polóniæ petis
Veræ salútis núntius,
Pastor bonus Christi fidem
Verbo Dei doces pridem.

Tandem Borússis fínibus
Ponis triúmpho términum,
Gentes rebélles ínferi
In te furórem súscitant.

Stant veritátis ínvidi,
Dum Sacra ad aram pérficis,
Fódere corpus láncea,
Manus feróces non pavent.

Hinc semivívi córporis
In frusta membra díssecant,
Caput triúmpho glóriæ
Cœlis in hasta súblevant.

O victor ergo nóbilis,
Dum te coléntes psállimus,
Tuus triumphális dies
Implóret indulgéntiam.

E christiánis pártibus
Belli timóres éxcute,
Pacem, precámur, ímpetra,
Donum tui sit sánguinis.

Præsta, beáta Trínitas,
Divína donet Unitas,
Nobis Adalbérti prece
Cœli meréri glóriam.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. et Bened. Ant. Magníficet te, Dómine, tuo redémpta sánguine christiána lætabúnda plebs, ánnua Adalbérti votíva célebrans solémnia; cujus morte pretiósa, devóta promit gaúdia, ut per ejus suffrágia tua ímpetret benefícia.

Oratio.

Tuam nobis indulgéntiam, quǽsumus Dómine, beátus Adalbértus, Epíscopus et Martyr, implóret, ut et delícta nobis cleménter ignóscas, et benefícia desideráta concédas. Per Dñm.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Hymnis canámus Mártyrem
Apostolúmque Prǽsulem
Bohémiæ, Polóniæ,
Hungáriæ, Borússiæ.

Natus Comes hic nóbilis
Morbo puer pressus gravi,
Voto paréntum fit Deo
Cœlo patens oblátio.

Crescit pius vir témperans,
Fit Spíritu plenus Dei,
Scriptúra sacra díscitur,
Prius domo non míttitur.

Adit cáthedram Póntifex
Sedens equo, freno levi,
Sancto futúro Prǽsuli
Soli reclámant ínferi.

Denos alébat paúperes,
Humi cubábat lánguidus,
Mox éxcitat somnum lapis,
Nox dormiéntem non videt.

Justus, pudícus, sóbrius,
Formam ferens antístitum,
Per signa, per mirácula
Exémpla tradit ómnibus.

Christus vidétur vénditus,
Gregem dolet depérditum,
Præcépta contémni videt,
Gentis salúti próvidet.

Hastis pio dum Prǽsuli
Necem parant incréduli,
Confóssus aris víncitur,
Dum vincit, interfícitur.

Auri levi sat póndere
Corpus redémptum vénditur,
Gnesnam suis redúcitur,
Pastor salútis rédditur.

Jesu, Redémptor ómnium,
Dimítte nostra crímina,
Da Mártyris per prǽmia
Ætérna nobis gaúdia.
Amen.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Adalbértus epíscopus Pragénsis, in Bohémia nobilíssimis paréntibus, Slávnico Libecénsi Cómite, ac Strezysláva natus, Voítechus autem pátrio sermóne dictus fuit, ab epíscopo autem Magdeburgénsi Adalbérto, apud quem deínceps pie ac honestíssime educátus est, álterum nomen accépit. Postquam Dítmaro in episcopátu Pragénsi succéssit, eum sanctíssime in magna vitæ continéntia, pietáte, pauperúmque cura gessit. Propter contumácis tamen pópuli grávia peccáta, desé-

rere illum coáctus, sedem Apostólicam hac de re consultúrus, in Itáliam se cóntulit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v.

Peregrinatióne Jerosolymitána quam institúerat, intermíssa, Romæ Leóni abbáti sancti Bonifácii commendátur. Ibi cum in religiósa vita quinquénnium exegísset, a Pragénsibus pertǽsis orbitátis dénuo revocátur. Príncipis ipsíus, et archiepíscopi Mogúntii núntiis precibúsque exorátus Póntifex, redíre Adalbértum ad suos jubet. Recípiunt læti réducem; non diu tamen illi obtémperant: sacras enim ædes invádunt, sontésque, qui ad illas confúgerant, per vim eréptos interfíciunt. Iterum illos déserit Adalbértus; animóque ad converténdas gentes álias, et ad martýrium destináto, ut benedictiónem tamen sedis Apostólicæ obtíneat, Romam revértitur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi.

Dénuo Pragénses, et Moguntínus Adalbértum répetunt. Cumque jussu Pontíficis íterum ad illos redíret, tres fratres suos ab eis cæsos esse cognóscit. Pragénsem ergo viam præclúsam sibi, mentésque illórum a se alienátas esse videns, Deo grátiis actis, converténdi gentes, quod Románus Póntifex probáverat, institútum suum proséquitur. Hungáriam cum rege Geíza, ejúsque fílio sancto Stéphano in fide Christi confírmat: Polóniam vicínam, cognatámque Bohémis suis gentem, salutáribus præcéptis copiósius ínstruit. Post triénnium autem Radzíno fratre in archiepiscopátum Gnesnénsem suffécto, ipse in Prússiam, idólis adhuc et dæmónibus serviéntem, profiscíscitur. Ibi dum religiónem christiánam disseminároet, apud Fishaúsam sinus Venédici óppidum, inter sacrificándum confóssus, et in partes disséctus est. Corpus ejus a Bolesláo

Chybro príncipe Polóniæ póstea redémptum, et in Tresménse monastérium prius, deínde Gnesnam metrópolim honorífice translátum est.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória. Et.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. Cap. 10. b.

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ.

Homilia 17. in Evang.

Est áliquid, fratres caríssimi, quod me de vita pastóris veheménter afflígit. Ad exterióra enim negótia delápsi sumus, et áliud ex honóre suscípimus, atque áliud ex offício actiónis exhibémus. Ministérium prædicatiónis relíquimus, et ad pœnam nostram, ut vídeo, epíscopi vocámur, qui honóris nomen, non virtútis tenémus. Relínquunt namque Deum hi, qui nobis commíssi sunt, et tacémus: in pravis actiónibus jacent, et correptiónis manus non téndimus: quotídie per multas nequítias péreunt, et eos ad inférnum téndere negligénter vidémus.

℟. O quam prædicánda et laudánda in sancto Adalbérto excelléntia cœléstis grátiæ rádiat, cum et in ævo sit tenerióre, * Et in divíno sacerdóte, sancto Mártyre, Deo munus acceptábile. ℣. Fit in púero oblátio, sacrifícium in Prǽsule, holocaústum in Mártyre. Et in divíno.

Lectio viii.

Sed quómodo nos vitam corrígere valémus aliénam, qui neglígimus nostram? Curis enim sæculáribus inténti, tanto insensibilióres intus effícimur, quanto ad ea, quæ foris sunt, studiosióres vidémur. Usu quippe curæ terrénæ, a cœlésti desidério obdeúréscit ánimus; et dum ipso suo usu durus effícitur, per actiónem sǽculi, ad ea emollíri non valet, quæ pértinent ad caritátem Dei. Unde bene sancta Ecclésia de membris suis infirmántibus dicit: Posuérunt me custódem in víneis: víneam meam non custodívi.

℟. Alme Præsul, et beáte Dei Martyr Adalbérte, confer opem peténtibus, tuis sanctis précibus, mala pelle, bona posce: * Præsta pacis increméntum, confer vitæ gaúdia. ℣. Ut sub tuo protécti patrocínio, gloriémur in laude Dei perpétuo. Præsta. Glória. Præsta.

Lectio ix.

Consideráte ergo quid de grégibus agátur, quando pastóres lupi fiunt: hi enim custódiam gregis suscípiunt, qui insidiári gregi Domínico non métuunt, contra quos greges Dei custodíre debúerant. Nulla animárum lucra quærimus, ad nostra quotídie stúdia vacámus, terréna concupíscimus, humánam glóriam inténta mente captámus. Et quia eo ipso, quod céteris præláti sumus, ad agénda quælibet, majórem licéntiam habémus, suscéptæ benedictiónis ministérium vértimus ad ambitiónis arguméntum; Dei causam relínquimus, ad terréna negótia vacámus; locum sanctitátis accípimus, et terrénis áctibus implicámur. Implétum est in nobis profécto, quod scriptum est: Et erit sicut pópulus, sic sacérdos.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes.

Hymnus.

O Christe, robur Mártyrum,
Decus, coróna, præmium,
Firmans Adalbértus fidem
Pro teste fudit sánguinem.

Pastor bonus Christi gregis
Depérditas quærens oves,
In innocénti sánguine
Pro víctima vitam dedit.

Qui tot labóres pértulit,
Ut ad salútis páscua
Oves redúcat pérditas,
Fidéque servet créditas.

Nunc efficácem grátiam
Petat suis fidélibus,
Noscat gregem semper suum,
Quem prótegat, pascat, regat.

Præsul Bohémis qui prius
Sevérus, et mitis fuit,
Nunc mítius det ómnibus
Cœléste desidérium.

Vigíliis, jejúniis
Carnem subégit spíritu,
Discámus et nos sénsuum
In spíritu custódiam.

A vanitáte sæculi
Cor, atque sensus líberet,
Quærámus ut semper Deum
Jesúmque cordis gaúdium.

Præsta, beáta Trínitas,
Divína dones Unitas,
Nobis Adalbérti preces
Cœli meréri glóriam.
Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Magníficet te Dómine. ut in I. Vesp.

In II. Vesperis.

Ad Magnif. Ant. Per mérita sancti Adalbérti, Christe, nos exaúdi: atque ejus précibus nobis succúrre míseris.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et Sociar.

Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg. Mart. præter sequentia.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Dómine Deus noster: sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári; ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Dum sæculo quinto fere médio Attila Hunnórum dux a prima sua in Gállias irruptióne, ubi ad Catalaúnum profligátus fúerat, in Pannóniam revertebátur, ántequam Rhenum trajíceret, nobilíssimam urbem Colóniam Agrippínam aggréditur, et ob ódium cathólicæ religiónis, quæ ibi máxime florébat, eam rapína ac cædibus vastábat. Sævíssimo autem ímpetu bárbari libídine æstuántes in vírgines puéllas irruébant, quæ a Británnia emigrántes ibídem commorabántur, inter quas præclaríssima éxstitit Virgo Ursula nómine, quæ céteras hortabátur sócias, ómnia pótius subíre torménta, mortémque crudelíssimam obíre, quam virginális pudicítiæ detriméntum pati.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio v.

Cum nóbile hoc virgíneum agmen constantíssime Hunnis restitísset, partim ab ipsis gládio trucidátæ, partim sagíttis transfíxæ, partim véctibus contúsæ martýrium consummárunt. Ursula vero super cómitum suárum velut cœléstium margaritárum acérvum gloriósa víctima procúm-

bens, púrpura pro fide et castitáte fusi sánguinis decoráta, exércitum géminis virginitátis et fídei corónis insígnem in cœlum triúmphans introdúxit. Postquam vero sæva barbarórum procélla deflúxit, Coloniénses supérstites vírginum aliorúmque cívium mártyrum córpora ut pretiósa pígnora collegérunt, et summo honóre condidérunt.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

In agro, virgíneo sánguine rubro, in quo sacra quies Martýribus data fuit, basílica ædificáta est, jam médio sǽculo séptimo sanctárum vírginum dicta, ob quarum reveréntiam nullum exínde cadáver humánum illic tumulabátur. Quæ sǽculo nono monastérium facta, inítio décimi moniáles ob metum Hungarórum prófugas recépit, semper ab ínclytæ civitátis præsúlibus liberáliter dotáta et pie visitáta. Conspiciúntur usque in hunc diem ecclésiæ sæpe restaurátæ muri Mártyrum lóculis úndique exornáti, dum major reliquiárum pars intra chori paríetes et sub paviménto látitant; cernúntur in próximo oratório innúmera vírginum cápita, martýrii vestígiis partim insignita, partim crínibus sanguinoléntis tecta. Hæc sacra pígnora prætéritis tempóribus piis peregrinatiónibus fidéles prosequúti sunt.

℟. Afferéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus. de Comm. Virg. primo loco.

Die 23. Octobris.

S. Joañis a Capistrano Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. non Pont., præter sequ.

In utrisque Vesperis.

Ad Magnif. et Bened. Ant. O zelátor fídei, persecútor hæreticórum, lumen virtútum, extermínátor Turcárum, prædicátor egrégie, doctor populórum, Joánnes fidelíssime órdinis Minórum, esto nobis præsídium e regno beatórum.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Joánnis méritis et doctrínis mirabíliter sublimásti, et per eum de pérfidis tyránnis in virtúte sanctíssimi nóminis Jesu fidéles tuos triumpháre fecísti: præsta quǽsumus; ut de inimícis nostris, ejus intercessióne, prævaléntes in terris, præmiári cum ipso mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex concess. S. R. Congr. pro Polonia, et Provinciis añexis, sexta August. 1736.

Capistráni Marsórum óppido in diœcési Sulmonénsi, ortus est beátus Joánnes anno Dómini millésimo trecentésimo octogésimo quinto. In gymnásio Perusíno christiánis, et liberálibus disciplínis instrúctus, aliquándo rempúblicam gessit: sed póstea Dei mónitu ad sánctius ministérium vocátus, in eádem civitáte órdinem Fratrum minórum, qui a regulári observántia nuncupátur, abs se ferventíssimis votis expetítum, quamvis repúlsus, durísque et públicis quoque experiméntis probátus, máxime álacris ampléxus est, anno ætátis suæ vigésimo nono. In divínis lítteris magístro usus est beáto Confessóre Bernardíno Senénsi, quem pro sacratíssimo nómine Jesu calúmniis tradúctum coram Martíno Papa quinto in Basílica beáti Petri Príncipis Apostolórum strénue defséndit, eumdémque ipse et beátus Jacóbus a Márchia per Nicoláum quintum in sanctórum Confessórum cánonem póstea referéndum curávit. Joánnes, doctrínæ, aspérrimæ pœniténtiæ, et sanctitátis fama in dies crescénte, ad multas variásque províncias christiános mores disciplinámque verbo et scriptis, quæ plúrima édidit, instauratúrus, a Románis Pontifícibus ablegátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Contra hæréticam pravitátem generális inquisítor creátus, Fraticellórum

sectam felíciter compéscuit. Reatínos et finítimos pópulos, inter se ódiis armísque certántes, elóquii suavitáte compósuit. In terris Románæ Ecclésiæ circa Pharrum, Joánna secúnda regína flagitánte, Judáici fœnoris pravam licéntiam evúlsit. Martíni quinti Pontíficis máximi dormitiónem, et Eugénii quarti, a quo pro magnis Ecclésiæ negótiis ad Insúbres, Sículos, et álios míttitur, successiónem prædíxit. Aquiláno episcopátu recusáto, munus prædicándi Evangélium obíre non cessávit, inque plenário Florentinórum Patrum Convéntu velut sol quidam fulsit. Romæ Judæórum Synagógæ minístrum cum quadragínta sectatóribus ad veritátis professiónem redúxit. Ut hæréticos in sinum Ecclésiæ, et príncipum ánimos in concórdiam redígeret, Frideríco tértio imperatóre postulánte, in Germániæ partes a prædícto Nicoláo quinto míttitur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

In Germánia, Bohémia, Sarmátia, et Polónia sexennáli peregrinatióne, Hussítis, Adamítis, Taborítis, Hebræísque innúmeris ad christiánam veritátem, doctrínæ, sanctitátis, et miraculórum luce convérsis, Dei glóriam mirífice auxit. Ægros quamplúrimos sanávit, mórtuos suscitávit, mutis loquélam restítuit. Dénique totam christianórum rempúblicam periclitántem ab immáni Turcárum tyránno defensúrus se pro domo Israël murum oppónit, dum Callístus Papa tértius, Joánne potíssimum deprecánte, christianórum mílitum signo Crucis illústrium expeditiónem in Turcas Európæ incubántes decérnit, statímque Joánne Pannóniam, Transilvániam, Moldáviam, Valáchiam, instar fúlguris pervolánte, septuagínta míllia christianórum conscribúntur, Crucísque vexíllum ipso præferénte, de centum et vigínti míllibus hóstium, toto orbe miránte, victória reportátur. Joánnes his atque áliis præcláre gestis, ex córporis fatigatióne letháli morbo contrácto, Villácum Pannóniæ inferióris

óppidum in agro Siriménsi defértur. Ubi sanctis Ecclésiæ sacraméntis máxima religióne suscéptis, anno salútis millésimo quadringentésimo quadragésimo sexto, décimo Kaléndas Novémbris, pie in Dómino óbiit. Quem post óbitum æque ac in vita multis miráculis clarum Benedíctus décimus tértius Papa in sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Noct. Homil. in Evang. Nolíte timére. de Comm. Conf. non Pont. 2. loco.

Dominica II. Octobris.

B. Vincentii Kadlubek de Rosis Episc. Cracov. et deinde Monachi Professi in monasterio Andreoviensi Ordinis Cisterciensis.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. Pont., præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Vincéntium Confessórem tuum atque Pontíficem spretis sǽculi pompis humilitátis glória decorásti: præsta, quǽsumus; ut tantæ virtútis proficiéntes exémplo ejus méritis glóriæ consórtes efficiámur. Per Dñm.

In I. Nocturno Lect. Fidélis sermo. de Comm. Conf. Pont.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Vincéntius Kadlubekónius Polónus natus est, ut antíqua acta ferunt, in villa Karwow, diœcésis Cracoviénsis, palatinátus Sandomiriénsis, ex vetustíssima Rosárum família, patre Bogumílo, matre Benígna, sánguinis claritáte et pietáte illústribus. A quibus in fide cathólica et in timóre Dómini sancte educátus plura édidit in ipsis téneris annis sanctitátis specímina, innocéntia morum, jugi orándi stúdio, humilitáte, modéstia, ac prompta erga suos paréntes obediéntia. Adoléscens factus philosóphicis ac theológicis stúdiis imbútus, cum litterárum stúdio singulárem pietátem semper cópulans, ótium et pravórum consórtia abhórrens, oratióni addíctus, sacraménta frequéntans, aliósque christiánæ pietátis actus forti ánimo exércens. Tanta sanctimónia vitæ ca-

ptus Fulco epíscopus Cracoviénsis Vincéntium inter suos cooptávit, ejúsque ópera usus est in regímine suæ diœcésis, cum præter exímiam vitæ integritátem acri étiam polléret ingénio, singularíque prudéntia. Sacerdótio initiátus, evéctus fuit ab eódem epíscopo ad præpositúram insígnis collegiátæ Sandomiriénsis, in qua dignitáte omnes sui múneris partes ádeo sancte adimplévit, ut exémplar factus modéstiæ, castimóniæ, aliarúmque virtútum promerúerit designári a Lesco Albo Polóniæ rege in oratórem, ut próprium fíliam beátam Saloméam in sponsam dedúceret ad regem Halíciæ. Defúncto intérea eódem Fulcóne epíscopo Cracoviénsi, assúmptus ille fuit ad eámdem sedem, electiónem confirmánte Innocéntio tértio Pontífice máximo.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v.

In episcopátu exémplum se præbuit bonórum óperum, et commíssum sibi gregem pascens mónitis, sciéntia, verbo et exémplo, ita insectátus est pravos populórum mores, ut collápsam pietátem in prístinum restitúerit, cathólicæ fídei insígnis propagátor, et ecclesiásticæ jurisdictiónis vindex acérrimus. Exímia incláruit prudéntia, caritáte, mansuetúdine, et misericórdia in paúperes. Zelus domus Dei ita illum coméderat, ut reparatióni et opportúnis ecclesiárum provéntibus impénse cónsulens, nedum ex mensæ episcopális redítibus, sed et de hæreditário património illas ditáverit. Exímium vero ejus religiónis arguméntum fuit, dum insígne erogávit pecúlium, ut in templo cathedrális Cracoviénsis lampas accénsa coram altáris Sacraménto perpétuo asservarétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Recurrénte vero décimo ejus episcopátus anno evangélicæ perfectiónis cúpidus in religiósa castra

secédere decrévit, ut cœléstium rerum contemplatióni et rigidióri vitæ institúto vacáre posset. Hinc forti ánimo précibus et lácrymis devícta capítuli et pópuli Cracoviénsis contradictióne, prævio beneplácito Pontíficis Honórii tértii, ómnia sua dispérsit ac dedit paupéribus. Et insígnibus episcopálibus depósitis coram collégio canonicórum Cracoviénsium, nudis pédibus profiscíscens per decem leucas, se cóntulit ad cœnóbium Andreoviénse, in quo monásticam vitam órdinis Cisterciénsis pro féssus est. Ibíque regulári observántia, jejúniis, et cœléstium rerum contemplatióne quinque júgiter annis ómnibus prælúxit, plúribus étiam supernaturálibus donis a Deo locupletátus. Plenus tandem diérum et óperum pretiósam in conspéctu Dómini mortem obívit die octáva Mártii, anno millésimo ducentésimo vigésimo tértio, fama sanctitátis et miraculórum clarus. Ecclesiásticum ejus cultum rite probátum confirmávit Clemens décimus tértius Póntifex máximus, qui et has lectiónes próprias ejus in honórem recitándas concéssit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est: et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre profiscíscens. de Comm. Conf. Pont.

Dominica IV. Octobris.

S. Joannis Cantii Conf.

Duplex 1. cl. cum Oct.

Omnia ut in corpore Breviarii die 20. Octobris et in Comm. Conf. non Pont.

In I. Noct. Lect. Beátus vir. de Comm. Conf. non Pont. 2. loco.

In II. Nocturno Lectiones ut in corpore Breviarii.

In III. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri præcíncti. de Comm. Conf. non Pont.

Infra Octavam Lectiones dicuntur ut infra Octavam S. Stanislai Kostkæ. pag. 106* - 124*

Die 12. Novembris.

Ss. Benedicti, Joannis, Matthæi, Isaaci atque **Christiani** quinque Fratrum Mart., P. R. P.

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart., præter sequentia.

Oratio.

Sanctórum nos, quǽsumus Dómine, Mártyrum tuórum, Benedícti, Joáñis,

Matthǽi, Isáaci, atque Christiáni gloriósa hodiérna die trophǽa lætíficent, quátenus eórum interventióne, ad illam perveniámus hæreditátem, in qua iídem felíces Angelórum cœ́tibus aggregáti, tuæ semper majestátis perfruúntur ineffábili claritáte. Per Dñm.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Benedíctus, Joánnes, Matthæus, Isaac et Christiánus fratres eremítæ Políni, post epíscopi Adalbérti, cujus erant peregrinatiónis cómites, necem, a Prussis multis contuméliis divexáti, et Prússiæ fínibus ejécti, in majórem Polóniam rediérunt. Et quo expedítius humána contémnerent, et cœléstia spectárent, in vastam solitúdinem apud Casimíriam se recepérunt: ibíque casis, quæ síngulos cáperent, e straménto ædificátis, non extraneórum tantum, sed mútuam étiam consuetúdinem fugiébant. Mirum Dei viris ínerat abstinéntiæ stúdium, cum áliqui eórum semel dumtáxat, álii qui paulo tenuióris erant valetúdinis, bis in hebdómade oléribus, aqua, et pane numquam adhíbito, se refícerent. De qua austeritáte victus, toto vitæ suæ témpore, prætérquam die sacratíssimo Paschæ, quoad vixérunt, nihil remittébant; véstibus, quas e setis equórum sibi confécerant, conténti. Quies non stratis mollióribus accersíta, sed si quid dandum fúerat fessis corpóribus, humi jacéntes, lápidem capítibus subjiciébant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illǽsi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v.

Tanta autem erat sanctitátis eórum fama, ut Bolesláus Chrobrus pius et sanctus, isque Polonórum rex, præsens eos accéderet, eórum oratiónibus se et regnum suum commendáret, grandíque pecúnia obláta, liberáliter et régie Sanctos donáret. Sed beáti viri post aurum non abeúntes, nec ullam in pecúniæ thesaúris reponéntes spem, ut qui pro Christi nómine renuntiássent ómnibus, e vestígio argéntum regi, ut réferat Bárnabas, unus ex sóciis, constítuunt. Quod dum fit, ecce grassatóres, qui cognóverant munífice a rege donátos, prima noctis vigília adsunt: sanctos fratres in Dei laúdibus ópprimunt, extra casas prótrahunt, gládios inténtant. Feránda vobis, quamcúmque imposuérimus, fortúna est, nisi quidquid ubicúmque locórum argénti recónditum est, nostrum íllico fúerit, minitántur. Quare aut pecúniam ultro expónite, vel si morámini, vitam cum sánguine profúndite. Sancti multis obtestatiónibus, regi esse reportátam confírmant: quin étiam tuguríola, ut excutiántur, potestátem dant.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut hærédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Lectio vi.

Sæva auri cupíditas, ubi nihil minis extórquet, réliquum spei tolléndæ pecúniæ in verbéribus et supplíciis repónit. Religántur fratres sancti ad palum, ígnibus ad látera admótis exurúntur: deínde circa rotárum vertíginem adstrícti diutíssime verberántur: tota nox inter crudelíssima paupertátis Sanctórum et innocéntiæ supplícia expénditur. Dénique cum omnes jam artes potiúndi argénti tentátæ essent, nec successíssent, ne quid inaúsum de concépta crudelitáte relinquerétur, ab iísdem latrónibus, anno salútis humánæ millésimo quinto, prídie Idus Novémbris, in Dei laúdibus constantíssime permanéntes, trucidántur. Bolesláus, nece Sanctórum innocénti cógnita, eámdem grátiam, quam præbúerat vivis, servávit et mórtuis: qui beatórum fratrum córpora honorificentíssima sepultúra Casimíriæ in majóri Polónia cóndidit. Bárnabas supérstes in erémum revérsus, vitæ fratrum suórum ǽmulus, assíduis oratiónibus, vigíliis jejuniísque addíctus, paulo post sancto fine quiévit: et ipse pii regis mandáto ad fratres suos appósitus, ut quibus in cœlésti pátria esset conjúnctus, in terris eódem túmulo cum eis cónditus quiésceret.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holo-

caústi hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto Pharisæórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Lib. 4. in Lucam cap. 52.

De hoc ferménto Apóstolus præcipit: Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ et nequítiæ, sed in ázymis sinceritátis et veritátis. Nam sicut módicum ferméntum totam farínæ, cui injícitur, massam corrúmpit, universámque mox conspersiónem suo sapóre commáculat: sic nimírum simulátio, cujus semel ánimum imbúerit, tota virtútum sinceritáte, et veritáte fraudábit. Est ergo sensus: Atténdite, ne æmulémini simulatóres, quia véniet profécto tempus, in quo et vestra virtus ómnibus, et eórum revelétur hypócrisis.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! Quia.

Lectio viii.

Verum quod séquitur: Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: non solum in futúro, quando cuncta córdium abscóndita proferéntur ad lucem, sed et in præsénti témpore potest congruénter áccipi: quóniam quæ inter ténebras quondam pressurárum carcerúmque umbras vel locúti, vel passi sunt Apóstoli, nunc clarificáta per orbem Ecclésia, lectis eórum áctibus, públice prædicántur. Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus. Si persecutóres Sanctórum, occísis corpóribus, non habent ámplius, quid contra illos agant: ergo supervácua furunt insánia qui mórtua Mártyrum membra feris avibúsque discerpénda projíciunt, cum nequáquam

omnipoténtiæ Dei, quin ea resuscitándo vivíficet, obsístere possint.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine: qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum: * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cœléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

Lectio ix.

Duo autem sunt génera persecutórum: unum palam sæviéntium, álterum ficte fraudulentérque blandiéntium. Contra utrúmque nos muníre atque institúere volens Salvátor, et supra ab hypócrisi Pharisæórum atténdere, et hic a carníficum cæde præcipit non timére: quia vidélicet post mortem nec horum crudélitas, nec illórum váleat simulátio duráre. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio? Si minutíssima, inquit, animália, et quæ quólibet per áera ferúntur volatília, Deus oblivísci non potest, vos, qui ad imáginem facti estis Creatóris, non debétis terréri ab his, qui occídunt corpus: quia qui irrationabília animália gubérnat, rationabília curáre non désinit.

Te Deum laudámus.

Eadem Die.

S. Josaphat Ep. et Mart.

Duplex.

Omnia ut die 26. Septembris, pag. 32*

Die 15. Novembris.

S. Leopoldi Archiducis Austriæ.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui sanctum Leopóldum ex principátu et curis sæculi hujus, immaculátum ad regnum cœléste traduxísti: concéde propítius; tua cleméntia ita nos per hæc temporália dírigi, ut ætérnæ vitæ consórtes éffici mereámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Leopóldus Austriæ Márchio, singulári præcónio pietátis, quæ in eo miríſice elucébat, Pius cognominátus, in primo statim ætátis flore ea virtútum inítia concépit,

quæ annórum progréssu in insígnem vitæ sanctitátem effloruérunt. Erat enim in júvene cum Dei timóre præclára intégritas, continéntia et humílitas, in viro justítia, misericórdia, sapiéntia et præcípuus religiónis cultus. Patre Leopóldo defúncto et principátus regímine suscépto, curis licet conjugálibus implícitus, et tam doméstícis, quam públicis negótiis impedítus, sédulo tamen pietátis, et misericórdiæ múnera súbiens, lassos roborábat, oppréssos sublevábat, ínopes fovébat, inter multíplices regéndi sollicitúdines, totque labórum stúdia immaculátum sese ab hoc sǽculo custodiébat, temporália tractándo, ætérna dispónens.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Hic princeps sacerdótes virósque religiósos ádmodum cóluit, summos quoque Pontífices tanta veneratióne prosecútus est, ut ab Innocéntio secúndo Románo Pontífice peculiáris sancti Petri fílius appellarétur. Duo monastéria celebérrima Claustroneoburgénse, et sanctæ Crucis in valle Nemorósa constrúxit, et amplíssimis cénsibus dotávit. Melicénse quoque a se instaurátum magno cum sumptu illustrávit. Post hujusmodi præclára suæ erga Deum pietátis monuménta, cum Austriæ principátum quadragínta annis laudabíliter rexísset, anno Dómini millésimo centésimo trigésimo sexto, vita sancte functus atque sacraméntis munítus, e terris ad cœléstem Jerúsalem transívit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

Ejus corpus Claustroneobúrgi cónditum, innúmeris miráculis cláruit, quibus Deus tanti viri sanctitátem mundo declarátam vóluit. Nam ad Leopóldi invocatiónem, ejúsdem méritis et précibus, mórtui suscitáti, cæci illumináti,

surdis audítus, mutis loquéndi facúltas, claudis gressus, váriis morbis laborántibus sánitas, vinctis libértas restitúta: álii quoque áliam ejúsdem opem mirabíliter expérti sunt. Quibus claríssimis sanctimóniæ documéntis rite cógnitis Innocéntius octávus Leopóldum sanctórum catálogo adscrípsit. Ejus sacra ossa e túmulo a Maximiliáno primo imperatóre transláta, in eádem Claustroneoburgénsi ecclésia cum débito honóre asservántur.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum et revérti. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Ex lib. 5. Comment. in Luc. c. 19.

Homo nóbilis ille est, cui supérius cæcus clamábat: Fili David, miserére mei, et veniénti Jerosólymam concinébant: Hosánna Fílio David! Benedíctus, qui venit in nómine Dómini Rex Israël. Longínqua régio Ecclésia est ex géntibus, de qua eídem hómini nóbili, qui lóquitur: Ego autem constitútus sum rex ab eo, dícitur a Patre: Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, et possessiónem tuam términos terræ. Quæ vídélicet hæréditas ac posséssio, bifária ratióne régio longínqua vocátur, vel quia a fínibus terræ clamat ad Dóminum, vel quia longe est a peccatóribus salus: et cum Deus ubíque sit præsens, longe tamen ab eórum sensu, qui idóla colunt, Deus verus est. Sed qui erant longe, facti sunt prope in sánguine Christi.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, ve-

rus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Vocátis autem decem servis, dedit eis decem mnas: denárius númerus ad legem pértinet propter Decálogum. Vocat ígitur Paterfamílias decem servos, quia elégit discípulos per lítteram legis imbútos. Dat eis decem mnas, quia dicta legis spirituáliter intelligénda revélat. Post passiónem quippe resurrectionémque apéruit illis sensum, ut intellígerent scriptúras. Mina namque, quam Græci mnam vocant, centum drachmis appénditur: et omnis scriptúræ sermo, qui vitæ cœléstis perfectiónem súggerit, quasi númeri centenárii póndere fulgéscit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Et ait illis: Negotiámini, dum vénio: verba, inquit, legis ac prophetárum, mýstica interpretatióne discússa, pópulis offérte, atque ab eis fídei confessiónem, morúmque probitátem recípite, juxta quod Psalmísta suis auditóribus præcipit, dicens: Súmite psalmum, et date týmpanum: hoc est laudem prædicatiónis in cordis intentióne percípite, et devotiónem óperis in carnis castigatióne réddite. Týmpanum quippe est pellis in ligno exténta, pellis vero in ligno exténta caro est nostra ad exémplum Domínicæ Crucis afflícta. Te Deum laudámus.

Die 17. Novembris.

B. Salomeæ Virg. Ord. S. Claræ.

Duplex.

Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in beáta Salòméa terréni regni contémptum cum virginitátis candóre in connúbio sociásti: concéde nobis, quǽsumus; ut ejus exémplo tibi casto et húmili corde serviéntes, immarcescíbilem corónam glóriæ in cœlis cónsequi mereámur. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Saloméa régio sánguine Cracóviæ orta, Lesci quinti Polóniæ príncipis et Grimisláviæ ducíssæ Rússiæ fília, Boleslái Pudíci beátæ Cunegúndis vírginis sponsi soror, ab ipsa infántia singuláribus a Deo natúræ et grátiæ exornáta donis, admiránda futúræ sanctitátis præmonstrávit indícia. Ex tunc enim elúxit in ea óptima índoles et juncta morum puritáti matúritas. Pietáti vero supra ætátem addícta, adhuc puéllula virginitátem suam Deo statúerat consecrándam; sed paréntum voluntáti óbsequi jussa, qui prócerum Polóniæ permóti consílio ad gravíssima evitánda dissídia, précibus Andréæ Hungarórum regis añúerant, triénnis in Hungáriam abdúcitur, Colománno régio Hungáriæ príncipi desponsánda. Crevit ibi sub óptima disciplína in dies humanióribus lítteris et pietáte profíciens; núptiis subínde in legítima ætáte celebrátis, mútuo cum sponso consénsu virginitátem suam (ut constans scriptórum tradítio est) perpétuo illibátam servávit. Cujus integritáti ut prospíceret, virórum collóquia declínans, tríplici cilício, jejúniis, vigíliis, et oratióne se præmunívit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio v.

Colománno Halíciæ sceptro in Rússia potíto, Saloméa étiam in regáli sólio Christo humíliter sátagens famulári, sǽculi fastum exósa, splendidiórem, quo pro status sui ratióne utebátur, ornátum depósuit, iis deínceps conténta induméntis, quæ víduis dumtáxat gestáre moris erat. Integras sæpe noctes contemplatióni inténta tradúxit, inter quam aliquándo cœ́litus emíssa voce, ad majórem terrenárum rerum contémptum roborári proméruit. Sponso dénique e vivis subláto, Cracóviam revértitur, ubi et régias opes in excitándis Fratrum Minórum, Clarissarúmve monastériis, ac paúperum sublevándis inópiis insúmpsit, et altióris perfectiónis succénsa desidério, mundo núntium remísit, ac sanctæ Claræ institútum in Zavi-

chosténsi propféssa est monastério. Inde ob Tartarórum incursiónes ad áliud solitário loco exstrúctum cœnóbium, quod sanctæ Maríæ de Scala appellátur, una cum moniálibus se cóntulit. Utrobíque autem abbatíssæ múnere functa, in exácta religiosárum legum custódia, mortificatiónis et patiéntiæ stúdio se exércens, alúmnis suis ómnium virtútum exémplar facta est, et magístra.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi.

Complétis autem vigínti octo monásticæ vitæ annis, dum inter missárum solémnia Evangélii lectióni, qua a téneris annis delectabátur, atténderet, extrémo morbo corrípitur; statímque mortem intra octíduum sibi imminére prophético spíritu prænuntiávit. Qua instánte, sodáles suas ad mútuæ pacis, caritátis, et castitátis amórem cohortáta, cœlésti dénique Deíparæ cum púero Jesu sibi apparénte recreáta visióne, ad immaculáti Sponsi núptias felíciter evolávit, die décima séptima Novémbris, anno salútis ducentésimo sexagésimo octávo supra millésimum, ætátis suæ sexagésimo séptimo. Animam ipsíus sub spécie lucidíssimi síderis ex ore prodeúntem se conspexísse adstántes soróres memóriæ prodidérunt. Angelórum étiam concéntus eádem hora audíti sunt. Percrebrescénte autem ejus sanctitátis, et miraculórum fama, corpus séptimo ab óbitu mense, elevátum, et miro fragrans odóre, purissimóque liquóre circumfúsum, quo ægri perúncti statim sanáti sunt, repértum, ad Cracoviénsem sancti Francísci Fratrum Minórum ecclésiam, ut vivens optáverat, solémniter translátum, confluéntes úndique pópuli venerántur. Cultum hunc quátuor sæculórum decúrsu júgiter auctum, ritéque recógnitum, Clemens Papa décimus approbávit, diémque óbitus ipsíus ecclesiástico Offício celebrándum indúlsit.

℟. Afferéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Símile erit regnum cœlórum. de Comm. Virg. 1. loco.

Dominica proxima post diem 13. Nov., vel ipsa 13. die cadente.

S. Stanislai Kostkæ S. J. Conf. P. R. P.

Duplex 1. classis cum Oct.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. in primo ordine, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui inter cétera sapiéntiæ tuæ mirácula, étiam in ténera ætáte matúræ sanctitátis grátiam contulísti: da, quǽsumus; ut beáti Stanislái exémplo, tempus instánter operándo rediméntes, in ætérnam íngredi réquiem festinémus. Per Dñm.

In I. Nocturno Lect. Justus si morte. de Comm. Confess. non Pont. 1. loco.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Stanisláus, senatória Kostkárum gente ortus in Polónia, quam olim esset milítiam secutúrus, nomen Jesu prænuntiávit, paritúræ matris grémio divínitus inscríptum. Virginitátem adhuc puer ita cóluit, ut patérna in mensa si quid minus pudíce dictum audísset, præ horróre exánimis corrúeret. Ad Viennénse in Aústria seminárium studiórum causa missus, non minus exémplo sodálibus quam veneratióni fuit. Coáctus in lutheráni hóspitis ædes migráre, ibíque a Paulo fratre ad liberiórem vitam omni étiam asperitátum génere incitátus, doméstícum bellum toto biénnio constantíssime sustínuit, ad ætérna se, non ad cadúca, natum affírmans. Itaque únicum illi erat rerum cœléstium desidérium, perpétua cum Deo consuetúdo, cultus Deíparæ ádeo tener, ut matrem suavíssime appelláret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Quotidiánæ fratris vexatióni crebra ipse jejúnia, flagélla, aliósque insóntis corpúsculi cruciátus

adjíciens, lethálem in morbum íncidit. Quo ingravescénte, cum dæmonem horréndi canis spécie insiliéntem signo Crucis ter fugásset, sacrum Viáticum, quod in hærética domo decúmbens frustra ab homínibus petébat, ab Angelis accépit. Mox ad púeri Jesu compléxum a beatíssima ejus Matre cómiter admíssus, ac Societáti jussus nomen dare, súbito conváluit. Sed cum áditum ad illam patris timor in Germánia præclúderet, peregríni hábitu, solus, pedes, mendícus fugam árripit, certus non sístere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei benefício prósperum fuit. Nam præter ália, Pauli prófugum fratrem jam assequéntis equi, immísso divínitus torpóre, constitérunt. Stanisláus Angelórum pane íterum angélico ministério reféctus, post duodécies centéna pássuum míllia, tandem Romæ in Societátem Jesu a sancto Francísco Bórgia generáli Præpósito méruit cooptári.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñs loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Tirónis eméritì virtútes in religiósæ vitæ palæstra splendídius eluxére; cáritas præsértim erga Deum, in quem assídue alienáta a sénsibus mente rapiebátur. Inde illi fácies semper accénsa, nonnúmquam rádians, perénnes lácrymæ; ardor péctoris tantus, ut média quoque híeme foret ingésta idéntidem gélida temperándus. Itaque amóre vérius quam febri æstuans, die assúmptæ in cœlum Vírgini sacro, ad ejus triumphálem pompam própius, ut optáverat, spectándam, ab ipsa beatárum Vírginum choro stipáta vocátus est ex Quirináli domo probatiónis, anno innocéntis vitæ décimo octávo, óperum plénior quam diérum. Multis post óbitum miráculis in sua præsértim Polónia enítuit; cujus armis contra formidábiles Turcárum exércitus spectábilis e cœlo áffuit non semel, et civitátes álias peste, álias incéndio liberávit. Quamóbrem Clemens décimus eum inter primários totíus regni Patrónos constítuit; Benedíctus vero décimus tértius (quod a Cleménte undécimo jamprídem fúe-

rat decrétum) in sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

(Pro Diœcesi Gnesnensi et Posnaniensi.)

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Obláti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

In Psalm. 118.

Quid párvulus, nisi húmilis? Hæc sunt mirabília testimónia tua, Dómine, quæ scrutáta est ánima párvuli hujus: et ídeo invénit, quia humiliátus est, et párvulus factus est. Quis enim facit mandata tua, sicut faciénda sunt, id est ex fide quæ per dilectiónem Dei operátur, nisi ejus in corde per Spíritum sanctũ ipsa diléctio diffundátur? Hoc étiam iste párvulus confitétur. Os meum, inquit, apérui, et attráxi spíritum, quia mandáta tua desiderábam. Quid desiderábat, nisi fácere mandáta divína? Sed non erat unde fáceret infírmus fórtia, et párvulus magna. Apéruit os, cónfitens quod per se ipse non fáceret, et attráxit unde fáceret.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Júnior sum ego, inquit, et contémptus: justificatiónes tuas non sum oblítus. Non sicut inimíci mei, qui oblíti sunt verbórum tuórum. Vidétur autem minor ætáte non oblítus justificatiónes Dei, dolére pro inimícis suis ætáte majóribus, qui oblíti sunt. Nam quid est, júnior ego non sum oblítus, nisi illi majóres oblíti sunt? Sed contémptum se dicit hic júnior; ídeo factus est major: quia ignobília et contemptibília mundi elégit Deus, et ea quæ non sunt,

tamquam sint, ut ea quæ sunt evacuéntur. Et ecce sunt novíssimi, qui erant primi, et primi, qui erant novíssimi.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

Iste autem júnior non est oblítus, quia non suam vóluit habére justítiam, sed Dei; de qua étiam nunc dicit: Justítia tua justítia in ætérnum. Propter hanc passus est persecutiónem júnior a majóre, ut díceret júnior quod séquitur: Tribulátio et necéssitas invenérunt me; mandáta tua meditátio mea est. Sǽviant, persequántur; dum tamen mandáta Dei non relinquántur, et ex ipsis mandátis étiam qui sǽviunt diligántur. Intelléctum da mihi, et vivam. Intelléctum poscit iste júnior, quem si non habéret, non super senióres intellígeret. Sed eum poscit in tribulatióne et necessitáte, quo intélligat quam sit contemnéndum, quod ei possunt auférre persequéntes inimíci, a quibus se dicit esse contémptum.

Te Deum laudámus.

In aliis Diœcesibus.

In III. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri. de Communi Conf. non Pont. 1. loco.

Prima die libera infra Oct. S. Stanislai Kostkæ Confessoris.

Semiduplex.

(Pro Diœcesi Gnesn. et Posnan.)

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

In obitu Valentin.

Lectio iv.

Amísimus júvenem, in quo duo páriter acérbant dolórem, annórum immatúritas, et consiliórum senéctus. Et ille quidem se suárum virtútum remuneratióne solátur, eo quod in juventúte sua labóres absórbuit, perícula multa tolerávit. Jugum máluit grave emendatióris propósiti, quam molle illud ac plenum deliciárum invitaméntis cervíce portáre. Plúrimi sunt, qui se a peccátis et lúbrico juventútis in senectúte revocáre potuérunt; rarus autem, qui in juventúte grave jugum séria sobrietáte portáverit. Hoc est illud jugum, de quo Dóminus in Evangélio ait: Tóllite jugum meum super vos. Si quis ergo, ántequam gravi onerétur peccatórum sárcina, túlerit jugum in juventúte, singuláriter sedébit, non cum plúrimis.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Et quid jam de áliis dicam, qui étiam ludo juventútis putáverint abstinéndum, resecándam ætátis licéntiam, lenitátem senectútis in aliénis annis deferéndam? Cœpit ita frequentáre jejúnium, ut plerúmque ipse impránsus convívium suis comítibus exhibéret. Quis tam dóminus servi quam ille sui córporis fuit? Quis tam aliórum árbiter, quam ille suæ censor ætátis? Quid de pietáte ejus loquar? Orábat. Sed forte dicátur: Quid ei prófuit sua orátio? ecce in primo vitæ óccidit cursu. Esto tamen doléndum sit, quod primæva obíerit ætáte: gratulándum nihilóminus est, quod virtútum stipéndiis veteránus decésserit. In illo ómnibus lúbrico adolescéntiæ témpore tanta laus morum ejus fuit, ut omnem memóriam dolóris obdúcat. Quod enim óbiit, fragilitátis est; quod talis fuit, admiratiónis.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Sed quia vita Sanctórum non hic in terris est, sed in cœlo (Justis enim vívere Christus, et mori lucrum, quia et dissólvi et cum Christo esse multo mélius), doléndum est, quod nobis cito raptus sit; consolándum, quod ad melióra transíerit. Nec putet áliquis, méritis ejus óbitus celeritáte detráctum. Raptus est Enoch, ne malítia mutáret cor ejus: et Josías décimo octávo anno regni sui ita Dómini Pascha celebrávit, ut omnes retro príncipes devotióne superáret; nec diútius fídei suæ

méritis supervíxit. Próspicis ígitur nos, sancta ánima, de loco superióre tamquam inferióra respíciens. Habitásti in córpore tamquam calceaménto eo usa, non ut in volúcro, ut quasi supérior et eminéntior, quo velles, tuum circumférres sine ulla offensióne vestígium. Super colúmbas simplícior, super áquilas lévior, super agnos cleméntior, super vítulos innocéntior.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Obláti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

In Luc. cap. 18.

Sínite púeros veníre ad me. Atque ætas hæc infírma est víribus, inválida ingénio, immatúra consílio: non ergo ea præfértur; alióquin obésset adoléscere. Cur autem púeros aptos regno dicit esse cœlórum? Fortásse quia malítiam nésciant, fraudáre non norint, referíre non aúdeant, opes, honórem ambitionémque non áppetant. Verum, non ignoráre ista virtútis est, sed contémnere; nec continéntiæ laus, ubi infirmitátis intégritas. Non ígitur puerítia, sed æmula puerílis simplicitátis bónitas designátur. Dénique hoc ipse Salvátor expréssit, dicens: Nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut puer iste, non intrábitis in regnum cœlórum.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Quis est ergo puer imitándus Apóstolis Christi? nisi forte ille, de quo Isaías dicit: Puer natus est nobis; ipse enim tibi puer dixit: Tolle crucem tuam, et séquere me. Et ut agnóscas púerum: cum maledicerétur, non remaledíxit; cum percuterétur, non repercússit. Hæc est enim perfécta virtus. Itaque et in puerítia est quædam venerábilis morum senéctus, et in senectúte ínnocens puerítia. Senéctus enim venerábilis est, non diutúrna, nec número annórum computáta: cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Unde et scriptum est: Laudáte, púeri, Dóminum: quia nemo nisi perféctus laudat Dóminum.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Ergo fugiámus supérbiam, sequámur puerílem simplicitátem: quia véritas adversária supérbiæ, simplícitas autem concúrrens veritáti in ipsa humilitáte sublímis. Nec, sicut Cain, fratérna spécie dolum percussóris abscóndat; sed foris intráque sit frater. Nunc distántiam verbórum inténde. Ubi ad se infántes accédere jubet, ut eos vel precatióne, vel mánuum impositióne benedíceret, púeros appéllat: ubi præcipit non scandalizándos, pusíllos vocat. Non enim scandalizántur, qui tangúntur a Christo: non labúntur, qui Christo propínquant: sed labúntur illi, quos pusíllos, non ætátis exigúitas, sed virtútis pusíllitas fecit. Te Deum laudámus.

Die Octava

S. Stanislai Kostkæ Confessoris.

Duplex.

(Pro Diœcesi Gnesn. et Posnan.)

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Ennódii Epíscopi.

In Vit. S. Epiph. Ep. Ticin.

Lectio iv.

Beáti Stanisláí paréntum quid retéxam sánguinis prærogatívam, quorum famíliæ et nobilitátis caput est fílius? Hic procéssu témporis et labóris ad sextum et décimum ætátis annum divíno favóre perdúctus cana consília in annis puerílibus

meditabátur. Vernábat in illo præ céteris mater bonórum óperum verecúndia. Formósitas lucis corpóreæ index ánimæ fuit. Ridébant genæ; nítida simul lábia commendábant dupliciter mella sermónum: nec non quocúmque vertísset óculos, serenitátem mentis nuntiábat adspéctus; frons céreæ pulchritúdinis, et candóris illíus, quæ solis passa rádios colórem traxit ab æthere: vultus vitæ símilis.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Erat prióribus sancta injungéntibus obsecúndans, æquálibus blandus atque officiósus, sequéntibus mera caritáte commúnis: nulli se præferens, cum religióso cursu per cœléstem trámitem ómnibus anteíret; laudatiónis amóre vácuus, cum quotídie in eo laudánda adoléscerent. De pudicítia júvenis mei quid loquar? Carnem se habére, nisi cum se moritúrum esse memínerat, nesciébat. Utebátur lectióne pro réquie; quid libri docuíssent, vita signabátur. Jam si illa retéxam, quas inimicórum sustínuit insoléntias, quali procéllas pessimórum virtúte contémpsit, ad hæc enarránda lingua non sufficiet. Sub tali cruce triénnium duxit, soli Deo dolórum suórum secréta maniféstans. Romam pétiit; in quo itínere quid molestiárum sustinúerit, quid virtútum gésserit, festínans ad majóra prætéreo.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Convérsi íllico ómnium óculi: nemo illum in mortálium número computábat, cui ómnia cœléstis grátiæ vidébant bona constáre. Talis jam ad décimum octávum ætátis suæ pervénit annum, in quo servórum Dei número dedicátus, senum cœtibus puer adjúnctus est. Stupuérunt plúrimi, sed extérni, qui mores illíus cum ætátis immaturitáte jungébant, seram credébant dignitátem hanc rédditam esse, qui nóverant. Scimus júvenem istum non oportére pro ætátis im̃aturitáte censéri, nec debére gravis consílii homínibus téneros pro quoquam óbice annos afférri. Vir namque cana morum integritáte probábilis, gemináta laude dignus est, si illi ad venerábile mentis impérium puerile corpus obtémperet. Conversátio, non anni, aut adolescéntiam áperit, aut senéctam.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 19.

In illo témpore: Obláti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedæ Presbýteri.

Sínite párvulos veníre ad me; tálium est enim regnum Dei. Significánter dixit: Tálium est, non istórum; ut osténderet, non ætátem regnáre, sed mores; et his, qui símilem habérent innocéntiam et simplicitátem, præmium repromítti. Quisquis non recéperit regnum Dei, velut párvulus, non intrábit in illud. Sicut puer non persevérat in iracúndia, non læsus méminit, non videns pulchram mulíerem delectátur, non áliud cógitat, áliud lóquitur: sic et vos, nisi talem habuéritis innocéntiam et ánimi puritátem, regnum cœlórum non potéritis intráre. Et compléxans eos benedicébat. Compléxus benedícit párvulos, ut húmiles spíritu sua benedictióne, grátia, et dilectióne dignos esse signíficet.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in iñocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Quidam genu flexo ante eum, rogábat eum dicens: Magíster bone, quid fáciam, ut vitam ætérnam percípiam? Audíerat, cre-

do, iste quæsítor vitæ ætérnæ, tantum eos, qui parvulórum velint esse símiles, dignos esse intróitu regni cœléstis; atque ídeo curam gerens tractátus certióris, poscit sibi, non per parábolas, sed apérte, quibus óperum méritis vitam ætérnam cónsequi possit, expóni. Jesus autem dixit ei: Præcépta nosti? Hæc est puerílis iñocéntiæ cástitas, quæ nobis imitánda propónitur, si regnum Dei vólumus intráre. At ille respóndens, ait: Magíster, hæc ómnia observávi a juventúte mea.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Non est putándus homo iste vel voto tentántis, ut quidam putavére, Dóminum interrogásse, vel de sua esse vita mentítus, cum se legis mandáta custodísse dicébat; sed simplíciter, ut víxerit, esse conféssus. Quia si mendácii, aut simulatiónis noxa reus tenerétur, nequáquam intúitus arcána cordis ejus, eum dilígere dicerétur Jesus. Díligit enim Dóminus eos, qui mandáta legis, quamvis minóra, custódiunt: sed nihilóminus quod in lege minus fúerat, iis qui perfécti esse desíderant, osténdit: quia non venit sólvere legem, aut Prophétas, sed adimplére. Ad quam profécto adimpletiónem pértinet, quod hic consequénter adjúngitur: Vade, quæcúmque habes vende, et da paupéribus, et habébis thesaúrum in cœlo; et veni, séquere me.

Te Deum laudámus.

Pro aliis Diœcesibus.

Secunda die infra Octavam S. Stanislai Kostkæ.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones ex Dominica præcedenti.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Serm. de martyribus, quod aut imitandi, aut non laudandi.

Lectio iv.

Qui Sanctórum mérita religiósa caritáte mirátur, quique justórum glórias frequénti laude cóllóquitur, eórum mores sanctos, atque justítiam imitétur; quóniam quem deléctat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa cultum Dei obséquium. Quare aut imitári debet, si laudat; aut laudáre non debet, si imitári detréctat; ut qui álium laudat, laudábilem se reddat; et qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipse vitæ sanctitáte reddátur. Nam si proptérea justos fidelésque dilígimus, quod in ipsis justítiam, fidémque suspícimus, póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi, quod fáciunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Neque enim diffícile nobis est, quod ab ipsis géritur, imitári cum sine præcedénti exémplo ab antíquis tália gesta conspícimus: ut non ipsi aliórum æmuli redderéntur, sed æmulándæ virtútis seípsos nobis præbérent exémplum: ut dum nos ex ipsis, et ex nobis álii profíciunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclésia sancta laudétur. Unde ab orígine mundi ínnocens Abel occíditur, Enoch Deo placens transfértur, justus Noe invenítur, Abraham fidélis probátur, Móyses mansuétus dignóscitur: Joseph castus, David lenis, Elías accéptus, Dániel sanctus, tres púeri victóres reddúntur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Apóstoli discípuli Christi credéntium magístri habéntur, e quibus erudíti Confessóres fortíssimi pugnant, Mártyres perfécti triúmphant, et christiáni semper exércitus diábolum Deo armáti debéllant. In istis semper pares virtútes, dissímiles pugnæ, gloriósæ victóriæ. Unde tu, christiáne, delicátus es miles, si putas te posse sine pugna víncere, sine certámine triumpháre. Exsere vires, fórtiter dímica, atróciter in prælio isto concérta. Consídera pactum, conditiónem atténde, milítiam nosce: pactum, quod spopondísti, conditiónem, qua acces-

sísti, milítiam, cui nomen dedísti.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

De Homilía S. Gregórii Papæ.

Homilia 13. in Evang.

Sed véniens Dóminus, quid servis vigilántibus exhíbeat, audiámus: Amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Præcínget se, id est, ad retributiónem præparábit. Et fáciet illos discúmbere, id est, in ætérna quiéte refovéri. Discúmbere quippe nostrum in regno quiéscere est. Unde rursus Dóminus dicit: Vénient, et recúmbent cum Abraham, Isaac, et Jacob. Tránsiens autem Dóminus minístrat, quia lucis suæ illustratióne nos sátiat. Transíre vero dictum est, cum de judício ad regnum redit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est: et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Sed quid, si servi in prima vigília negligéntes exsístunt? Prima quippe vigília, primæ ætátis custódia est. Sed neque sic desperándum est, et a bono ópere cessándum. Nam longanimitátis suæ patiéntiam insínuans Dóminus subdit: Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Prima quippe vigília primævum tempus est, id est pueritia. Secúnda adolescéntia vel juvéntus, quæ auctoritáte sacri elóquii unum sunt, dicénte Salomóne: Lætáre júvenis in adolescéntia tua. Tértia autem senéctus accípitur.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Qui ergo vigiláre in prima vigília nóluit, custódiat vel secúndam: ut qui convérti a pravitátibus suis in pueritia negléxit, ad vias vitæ saltem in témpore juventútis evígilet. Et qui evigiláre in secúnda vigília nóluit, tértiæ vigíliæ remédia non amíttat; ut qui in juventúte ad vias vitæ non evígilat, saltem in senectúte resipíscat. Pensáte, fratres caríssimi, quia conclúsit Dei pietas durítiam nostram. Non est jam, quid homo excusatiónis inveniat. Deus despícitur, et exspéctat: contémni se videt, et révocat: injúriam de contémptu suo súscipit, et tamen quandóque reverténtibus étiam præmia promíttit.

Te Deum laudámus.

Tertia die infra Octavam S. Stanislai Kostkæ.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

De S. Philogonio.

Lectio iv.

Ad hanc beátam réquiem tránsiit beátus Stanisláus. Quænam ígitur orátio par sit viri laúdibus, quem Deus tam felíci sorte dignátus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi, num idcírco silébimus? et cujus rei grátia convénimus? An dicémus nos haud posse magnitúdinem gestórum oratióne cónsequi? Atqui ob hoc ipsum necésse est dícere, quandóquidem hæc est præcípua laudum illíus pars, quod factis verba æquiparári non possint. Nam quorum benefácta natúram étiam súperant mortálem, perspícuum est, quod horum laudes excédunt linguam humánam. Haud tamen ob id aspernábitur offícium nostrum, quod pro víribus præstámus, sed suum imitábitur Dóminum. Síquidem et ille víduæ, duos tantum óbolos dejiciénti

in gazophylácium, non tantum duórum obolórum mercédem, sed multo ámplius réddidit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit illi.

Lectio v.

Proínde, quamvis nostræ facultátes exíguæ sint, minimíque prétii, áttamen, quæ póssumus, offérimus. Ea licet non respóndeant magnitúdini meritórum ánimæ præclári justíque Stanislái, tamen hoc ipsum celsitúdinis illíus máximum fúerit arguméntum, quod nec pusílla repéllat, sed idem fáciat quod solent dívites. Síquidem illi, cum accéperint a tenúibus exígua, quibus non egent, sua vicíssim appónunt, remunerántes eos, qui quod póterant obtúlerint. Itidem et hic, cum accéperit a nobis laudem verbis peráctam, qua nequáquam éget, redonábit nobis per ipsa facta benedictiónem, qua semper uti possímus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Unde ígitur laudatiónem illíus auspicábimur? An a magistrátu, quem Spíritus illi trádidit grátia? Nam mundáni magistrátus nequáquam possunt christianórum demonstráre virtútes; quin pótius frequénter habent accusatiónem malítiæ. Quam ob causam? Quóniam et sollicitúdines amicórum, et circumcursatiónes, et adulatiónes, áliaque permúlta his fœdióra tales magistrátus solent conciliáre. Céterum, ubi Deus suo suffrágio designárit áliquem, incorrúptum suffrágium, aliénum ab omni suspicióne judícium, indubitáta fúerit delécti comprobátio, propter ejus, qui delégit, auctoritátem.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 208. in Lucam.

Audístis modo Evangélium, quid monúerit nos, cautos nos fáciens, volens esse expedítos, et parátos ad exspectándum novíssima; ut post novíssima, quæ sunt in hoc sǽculo metuénda, succédat réquies, quæ non habet finem. Beáti qui partícipes facti fúerint. Erunt autem tunc secúri, qui modo non sunt secúri: et íterum tunc timébunt, qui modo timére nolunt. Ad hanc exspectatiónem et propter hanc spem christiáni facti sumus.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in iñocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Nonne spes nostra non est de hoc sǽculo? Non amémus sǽculum. Ab amóre sǽculi hujus vocáti sumus, ut áliud sǽculum sperémus, et diligámus. In hoc abstinére nos debémus ab ómnibus illícitis concupiscéntiis, hoc est, lumbos accínctos habére debémus; et fervére, et lucére in opéribus bonis, hoc est: lucérnas ardéntes in mánibus habére. Dixit enim ipse Dóminus discípulis suis álio loco Evangélii: Nemo accéndit lucérnam, et ponit eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Et, ut osténderet unde dicébat, subjécit, et ait: Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant bona facta vestra, et glorífícent Patrem vestrum qui in cœlis est. Lumbos nostros accínctos esse vóluit,

et lucérnas ardéntes. Quid est lumbos accínctos? Declína a malo. Quid est lucére? Quid est lucérnas ardéntes habére? hoc est: Et fac bonum. Quid est, quod adjúnxit, et ait: Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: nisi quod in illo Psalmo séquitur: Inquíre pacem, et perséquere eam. Te Deum laudámus.

Quarta die infra Octavam S. Stanislai Kostkæ.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi.

De S. Philogonio.

Lectio iv.

Quantum autem sit pietátis arguméntum quod Deus illum tanto magistrátu dignum judicárit, audi. Christus excitátus a morte, quid dicit Petro? Postquam enim illum interrogásset: Petre, amas me? isque respondísset: Tu Dómine scis, quod amo te; dicit illi: Si díligis me, pasce oves meas. Hoc autem dicébat, non solum ut nobis certíssime declaráret, quantópere ipsum dilígeret Petrus, verum étiam ut palam fáceret, quantam habéret benevoléntiam erga suas oves. Itaque si quis volúerit illi commendátus esse, curam hábeat óvium illíus, públicam quærat utilitátem, fratrum suórum salúti prospíciat.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Nullum enim offícium hoc Deo cárius est, et ob id alícubi dicit: Simon, Simon, expetívit te sátanas, ut cribráret te tamquam tríticum, sed ego rogávi pro te, ne defíciat fides tua. Quod ígitur hujus sollicitúdinis curæque præmium mihi repéndis? Eámdem curam, quam nobis impéndit, repóscit. Nam et tu, inquit, aliquándo convérsus confírma fratres tuos. Neque prorsus ália res est, quæ perínde decláret doceátque, quis sit fidélis, et amans Christi, quam si fratrum curam agat, pro-

que illórum salúte gerat sollicitúdinem.

℞. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Hæc omnes aúdiant et mónachi, qui móntium occupárunt cacúmina, quique modis ómnibus seípsos mundo crucifixérunt, quo pro víribus ecclesiárum præféctos ádjuvent, horúmque curas léniant précibus, concórdia, caritáte, sciéntes, quod nisi modis ómnibus opit. uléntur iis, qui tot perículis objiciúntur, per grátiam Dei, totque negotiórum curas sústinent, quibuscúmque possunt ratiónibus auxiliéntur, quamquam procul habitántes, et victus sors ipsis periísset, et tota in scópulum impegísset sapiéntia.

℞. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

De Homilía S. Augustíni Epíscopi.

Serm. 108. in Lucam.

Hæc tria, hoc est, abstinéntia a malo, et operátio boni, et spes præmii ætérni, commemoráta sunt in áctibus Apostolórum, ubi scriptum est: Quia docébat eos Paulus de continéntia, de justítia, et spe vitæ ætérnæ. Ad continéntiam pértinet: Sint lumbi vestri accíncti. Ad justítiam pértinet: Et lucérnæ ardéntes. Ad exspectatiónem Dómini pértinet: Quæ est spes vitæ ætérnæ. Ergo, Declína a malo, hæc est continéntia, hi sunt lumbi accíncti; Et fac bonum, hæc est justítia, hæ sunt lucérnæ ardéntes; Quære pacem et séquere eam, hæc est exspectátio futúri sæculi.

℞. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse

intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in iñocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Habéntes autem ista præcépta et promíssa, quid quærimus in terra dies bonos, ubi eos inveníre non póssumus? Scio enim, quia eos quæritis, quando aut ægrotátis, aut in tribulatiónibus estis, quæ abúndant in hoc sæculo; quóniam quando ætas vergit ad finem, et senex plenus est querélis, et nullis gaúdiis; inter omnes tribulatiónes, quibus contéritur genus humánum, non quærunt hómines nisi dies bonos, et vitam volunt longam, quam hic habére non possunt.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Quid ergo est vita hóminis, étiam illa, quæ longa dícitur? Audíte, non a me, sed mecum simul. Ait enim nobis quidam: Veníte fílii, audíte me, timóremDómini docébo vos. En, quam rem vult docére, et cui rei útilis est timor Dómini? Séquitur: Quis est homo, qui vult vitam, et díligit dies vidére bonos? Respondémus omnes: Nos vólumus. Quod séquitur, audiámus: Cóhibe linguam tuam a malo, et lábia tua ne loquántur dolum. Modo dic: Ego. Eja respóndeat mihi áliquis: Ego. Et cum hoc féceris, secúrus exspécta vitam, et dies bonos; quære pacem, et séquere eam; et tunc bona fronte dices Dómino: Feci quod jussísti, redde quod promisísti.

Te Deum laudámus.

Quinta die infra Octavam

S. Stanislai Kostkæ.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Noct. Lect. Deridétur. ut in Comm. 2. loco.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Ex Serm. 24. post init.

Novus ordo vigiliárum, novus hábitus imperátur: Sint lumbi vestri præcíncti. Nil de vestítu, nil de calceaméntis, nil de ipsíus occúrsus apparátu servi vígiles admonéntur: sed tota in præcingéndis lumbis mandátur cura, tota in constringéndis lumbis statúitur vis præcépti, áddito lucernárum solátio tantum, sine quo nec noctis aperítur obscúritas, nec veniéntis diéi claréscit adspéctus.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Cíngulum quidem est próprie indícium servitútis; quod et discúrsus expedítos reddat, et fáciat obsequéntes, sed dixísse suffécerat: Estóte præcíncti. Cur lumbos potíssimum nóminat? Cur tanta jubéntis reveréntia lumbórum facit magnópere mentiónem? Quæris, quare? quia in lumbis est tota córporis causa: ex lumbis tota carnis negótia suscitántur, in lumbis tota est humáni lapsus, humánæ fragilitátis occásio. Inde venit, quod virtútis ignáros reddit, éfficit segnióres.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Hinc est ergo, quod principáliter Dóminus lumbos nostros adstríngi jubet bálteo castitátis, et totum carnis nostræ péndulum, flúidum, resolútum, constríngi mandat contínua zona virtútis: ut carne succíncta ad Dómini occúrsum liber, velox, expedítus nostræ mentis reddátur incéssus. Hæc tamen aúdiens, homo, scire debes, quia te non retárdat ab occúrsu Dei caro: quia ipsíus occúrsus offícii ipsíus est inseparábilis comes, si tu ejus compónas sárcinas, si

réleves ónera ejus, si péndula et sinuósa involúcra ejus tu próvidus viátor adstríngas.

Te Deum laudámus.

Sexta die infra Oct. S. Stanislai Kostkæ.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lib. 10. cap. 17.

Lectio iv.

Bene justi simplícitas et lampas esse dícitur, et contémpta. Lampas, quia intérius lucet; et contémpta, quia extérius non lucet. Intus ardet flamma caritátis, foris nulla glória respléndet decóris. Lucet ergo et despícitur, qui flagrans virtútibus, abjéctus æstimátur. Sed úsquequo lampas ista contémnitur? Usquequo despicábilis habétur? Numquid non fulgórem suum nullátenus éxserit, et numquam quanta claritáte cándeat osténdit? Osténdit plane; nam prótinus ádditur: Paráta ad tempus statútum. Statútum quippe contémptæ lámpadis tempus est extrémi judícii prædestinátus dies, quo justus quisque, qui nunc despícitur, quanta potestáte fúlgeat, demonstrátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Tunc enim cum Deo júdices véniunt, qui nunc pro Deo injúste judicántur. Tunc eórum lux tanto látius émicat, quanto eos nunc manus persequéntium dúrius angústat. Tunc reprobórum óculis patéscet, quod cœlésti potestáte subníxi sunt, qui terréna ómnia sponte reliquérunt. Unde eléctis Véritas dicit: Vos, qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super duódecim sedes, judicántes duódecim tribus Israël. Neque enim plus quam duódecim júdices illa intérni conséssus cúria non habébit; sed nimírum duodenário número quántitas universitátis exprímitur: quia quisquis stímulo divíni amóris excitátus hic posséssa relíquerit, illic procul dúbio culmen judiciáriæ potestátis obtinébit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi.

Hinc est enim, quod de sanctæ Ecclésiæ Sponso per Salomónem dícitur: Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Hinc Isaías ait: Dóminus ad judícium véniet cum senióribus pópuli sui. Hinc eósdem senióres Véritas non jam fámulos, sed amícos denúntiat, dicens: Non jam dicam vos servos, sed amícos meos. Quos Psalmísta íntuens ait: Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: quorum dum celsitúdinem cordis adspíceret, mundi glóriam qua calce calcárent, prótinus áddidit: Nimis confortátus est principátus eórum. Ac ne paucos esse crederémus quos profícere usque ad sum̃am tantæ perfectiónis agnóscimus, íllico adjúnxit: Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur. Quot ítaque nunc pro amóre veritátis sese libénter humíliant, tot tunc in judício lámpades coruscant.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 12. c.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi.

Serm. 24.

Constringénda est ergo caro continéntiæ cíngulo, ne effúsa vítiis, ac toto peccatórum graváta póndere, supérnis et cœléstibus insístere non possit incéssibus. Bene Dóminus adjécit: Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: quia semper ad innocéntiæ testimónium lucérnæ noctúrno portántur in témpore: et sicut vítiis amícæ semper sunt ténebræ, ita lucérnæ sem-

per inimícæ crimínibus; sóciæ semper boni óperis sunt lucérnæ.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Sed in mánibus sanctórum ipsa bona ópera sunt lucérnæ, dicénte Dómino: Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant vestra bona ópera. Et vere portant lucérnas suas, vere foméntis óperum, vere misericórdiæ unguénto inflámmant lámpades suas, quæ cum loco, propósito, stúdio látitant, ópere, virtúte, méritis corúscant, ac splendent toto orbe terrárum. Et quia exspectatiónis suæ Dóminus satis tristes, satis ánxios nóverat mores: ne quis superarétur tǽdio, ne quis lassésceret tarditáte, ne quis longæ exspectatiónis fatigatióne succúmberet, perseverántibus beatitúdinem cœléstem, cœléste promíttit obséquium.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Et ne ipsíus beatitúdinis quálitas haberétur incérta, mox adjécit: Amen dico vobis, quia præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit eis. Præcínget se Deus, et fáciet servos discúmbere, et ministrábit eis. En mutátio inaudíta rerum, en terríbilis corréptio dominatiónis, en pavénda convérsio servitútis: quia parúmper servus ádstitit in Dómini sui exspectatióne succínctus, et sustinéndi fidem brevi fatigatióne portávit; cui ut taliónem rédderet, dissímulat se in ipsa divinitáte divínitas.

Te Deum laudámus.

Septima die infra Octavam S. Stanislai Kostkæ.

Semiduplex.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

grédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cœléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum ~~Joannem.~~ Lucam

Lectio vii. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi.

Ex Sermone de Conf.

Si istum Dómini sermónem secúndum lítteram velímus accípere, nihil in eo cómodi spirituális póssumus invenire. Quid enim próficit ad ánimæ salútem, si áliquis corporáliter aut lumbos præcíngat, aut lucérnam accéndat? In lumbis ítaque concupiscéntia carnális osténditur, in lucérnis vero fides et cáritas christiána monstrátur. Jubens ígitur Dóminus lumbos nostros præcíngi, concupiscéntias carnis sine dúbio præcipit refrenári. Imperans autem, ut lucérnas ardéntes habeámus, hoc útique jubet, ut et lúmine veræ fídei splendeámus, et sanctæ caritátis opéribus ferveámus.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in iñocéntia sua. Ipse.

Lectio viii.

Ista, quæ de Evangélio proposúimus, cum prophéticis sermónibus conferámus. Utrúmque enim testaméntum Deus instítuit, unus Dóminus dedit: etsi sunt utriúsque testaménti divérsa pro tempóribus sacraménta, concórdat tamen in utróque salútis humánæ senténtia, qua præcípitur, ut non peccémus, et jubétur, ut bonis opéribus insistámus. Per Isaíam Dóminus omnes his ádmonet verbis: Auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis, quiéscite pervérse ágere, díscite benefácere. Quid est enim: Sint lumbi vestri præcíncti, nisi, Quiéscite ágere pervérse? quid est: Sint lucérnæ ardéntes, nisi, Díscite benefácere?

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix. dicitur de Homilia in Evang. Dominicæ, et de ea fit Commem. in Laudibus.

Die 30. Novembris.

S. Andreæ Apost., Patr. Diœc. Varmiens.

Duplex 1. classis cum Oct.

Omnia ut in Breviario eadem die præter sequ. Lectiones.

In I. Nocturno Lectiones ut in Breviario cum suis ℟℟.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Andréas Apóstolus, Bethsáidæ natus, qui est Galilǽæ vicus, frater Petri, discípulus Joánnis Baptístæ, cum eum de Christo dicéntem audísset: Ecce agnus Dei: secútus Jesum, fratrem quoque suum ad eúmdem perdúxit. Cum póstea una cum fratre piscarétur in mari Galilǽæ, ambo a prætereúnte Christo Dómino ante álios Apóstolos vocáti illis verbis: Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum, nullam interponéntes moram, et relíctis rétibus, secúti sunt eum. Post cujus passiónem et resurrectiónem Andréas, cum in Scýthiam Európæ, quæ ei província ad Christi fidem disseminándam obtígerat, venísset, deínde Epírum ac Thráciam peragrásset, doctrína et miráculis iñumerábiles hómines ad Christum convértit. ℟. Homo Dei ducebátur, ut crucifígerent eum: pópulus autem clamábat voce magna, dicens: * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque dúcerent eum, ut crucifigeréntur, factus est concúrsus populórum clamántium, et dicéntium. Innocens.

Ex actis Ecclesiárum Achájæ.

Lectio v.

Passiónem sancti Andréæ Apóstoli, quam óculis nostris vídimus, omnes presbýteri et diáconi ecclesiárum Achájæ scríbimus. Univérsis ecclésiis, quæ sunt in Oriénte et Occidénte, et Meridiáno, et Septentrióne in Christi nómine constitútis: Pax vobis, et univérsis, qui credunt in unum Deum, in Trinitáte perféctum. Cum próconsul Ægéas Patras civitátem ingréssus esset, cœpit compéllere credéntes Christo ad sacrifícia idolórum. Huic occúrrens sanctus Andréas, Oportébat, ait, ut et tu, qui judex esse hóminum comprobáris, júdicem tuum, qui est in cœlo, cognósceres et ágnitum cóleres, et coléndo eum, qui verus Deus est, ab his, qui dii non sunt, ánimum revocáres. ℟. O bona crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus, et redde me magístro meo: * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℣. Beátus Andréas expánsis mánibus ad cœlum orábat, dicens: Salva me, bona crux. Ut per te.

Lectio vi.

Quo audíto, Ægéas dixit: Tu es Andréas, qui déstruis templa deórum, et suádes homínibus superstitiósam illam sectam, quam nuper detéctam Románi príncipes exterminári jussérunt? Andréas respóndit: Románi príncipes nondum cognovérunt hoc, quod pro salúte hóminum véniens Fílius Dei docúerit idóla non solum deos non esse, sed esse dæmónia inimíca humáno géneri. Ægéas irátus: Ista superstitiósa et vana verba Jesus vester dum prædicáret, Judǽi illum crucis patíbulo affixérunt. Andréas contra: O si velles scire mystérium crucis, quam rationábili caritáte auctor humáni géneris, pro restauratióne nostra hoc crucis patíbulum non invítus, sed sponte suscépit, secus sentíres. ℟. Expándi manus meas tota die in cruce ad pópulum non credéntem, sed contradicéntem mihi: *Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit: exaltáre, qui júdicas terram, redde retributiónem supérbis. Qui. Glória Patri. Qui.

In III. Noct. Lect. ut in Brev.

Officium secundum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ægéas furens jussit Andréam in cárcerem retrúdi, unde pópulus eum fácile liberásset, nisi ipse obstitísset, veheméntius rogans, ne se ad optatíssimam martýrii corónam properántem impedírent. Mane facto, Ægéas Apóstolum ad se addúci præcépit, perseverantém-

que in senténtia flagéllis cædi, et cruci affígi mandávit, ita ut ligátus pédibus ac mánibus quasi in equúleo tenderétur: ne clavis affíxus cito defíceret, sed pótius longo cruciátu conficerétur. ℟. Homo Dei. 124*

Lectio v.

Cum pervenísset ad locum Andréas, ubi crux paráta erat, videns eam a longe, exclamávit voce magna dicens: Salve crux, quæ in córpore Christi dedicáta es, et ex membrórum ejus margarítis ornáta. Antequam te ascénderet Dóminus, timórem terrénum habuísti, modo vero amórem cœléstem óbtinens, quanta in te gaúdia habes, quanta múnera præparáta! Secúrus ergo et gaudens vénio ad te, ita ut et tu exsúltans suscípias me discípulum ejus, qui pepéndit in te, quia amátor semper tuus fui, et desiderávi ampléchti te.

℟. O bona crux. 125*

Lectio vi.

O bona crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, diu desideráta, sollícite amáta, sine intermissióne quæsíta, et aliquándo jam concupiscénti ánimo præparáta, áccipe me ab homínibus, et redde me Magístro meo, ut per te me recípiat, qui per te redémit me. Et hæc dicens exspoliávit se, et vestiménta sua trádidit carnifícibus. Qui accedéntes levavérunt eum in crucem, et extendéntes fúnibus totum corpus ejus (sicut eis jussum fúerat) suspendérunt.

℟. Expándi manus. 125*

In III. Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vii. Cap. 4. c.

In illo témpore: Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homilia 14. in cap. 4. Matth.

Perpénde et fidem, et obediéntiam vocatórum, (cognósces, quam dulcis sit piscátio) síquidem in médio óperis constitúti cum illum audíssent jubéntem, nihil distulérunt, nihil omníno cunctáti sunt. Non dixérunt: Revertémur domum, loquémur propínquis, sed cuncta íllico relinquéntes, fecérunt quod Eliséus quoque sub Elía légitur implevísse. Talem quippe a nobis obediéntiam Christus efflágitat, ut neque punctum témporis differámus, etiámsi nos áliquid necessárium urgére videátur.

℟. Orávit sanctus Andréas, dum respíceret in cœlum, et voce magna clamávit, et dixit: Tu es Deus meus, quem vidi; ne me patiáris ab ímpio júdice depóni: * Quia virtútem sanctæ crucis agnóvi. ℣. Tu es magíster meus Christus, quem diléxi, quem cognóvi, quem conféssus sum: tantúmmodo in ista voce exaúdi me. Quia.

Lectio viii.

Propter quod et álium quemdam accedéntem se et rogántem, ut ad sepeliéndum patrem redíret, ne id quidem fácere permísit, osténdens, quia Christus sit étiam cunctis necessitátibus præferéndus. Sed dices forsan, máxima fuísse promíssa. Et hoc est, propter quod illos máxime admíror. Quia enim nondum signum áliquod factum fuísse vidérunt, tamen promissiónis magnitúdinẽ credidérunt, ut étiam Christum sequi rebus ómnibus anteférrent, et illis quippe ipsis, quibus capti sunt, verbis fácile credidérunt, álios quoque per éadem a se capiéndos.

℟. Videns crucem Andréas exclamávit, dicens: O crux admirábilis, o crux desiderábilis, o crux, quæ per totum mundum rútilas, * Súscipe discípulum Christi, ac per te me recípiat, qui per te móriens me redémit. ℣. O bona crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dñi suscepísti. Súscipe. Glória. Súscipe.

Lectio ix.

Petro ígitur et Andréæ hoc promísit, Jacóbo vero et Joánni nihil tale pollícitus est. Síquidem obediéntia præcedéntium, his quoque ad credéndum iter parávit. Vide autem, quam étiam diligénter inópiam eórum Evangelísta signáverit: Invénit, inquit, reficiéntes rétia sua. Tanta erat egestátis magnitúdo, ut vétera contéxerent, quia émere nova nequíbant. Nec sane parva hæc sunt documénta virtútis, fácile omnem toleráre paupériem, de justis labóribus vívere, mútua sibi caritáte connécti, secum habére ínopem patrem, atque in ejus obséquio laboráre. Te Deum.

Index alphabeticus.

ADPROBATIO.

Revisione rite peracta cum originalibus omnia concordare reperta sunt.

Ex Secretaria Sacr. Rit. Congreg. die 23. Julii 1880.

Pro **R. P. D. Placido Ralli,** Secretario
Joannes Canonicus Ponzi, Substitutus.

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 31. Julii 1880.

M. Dandl, Vicarius in Spirit. Generalis.

Ratisbonæ. Ex Officina Fr. Pustet, S. Sedis Apost. Typogr.